DOMINICI PALMIERI S. J.

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE

NOVISSIMIS

PRATI

DOMINICI PALMIERI S. I.

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE

NOVISSIMIS

Memorare novissima tua et in
aeternum non peccabis.
Eccli. VII, 40.



PRATI
EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1908

4895

ALOISIUS CATERINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU

Cum opus, cui titulus *Tractatus de Novissimis* a DOMINICO PALMIERI Societatis nostrae sacerdote conscriptum aliqui eiusdem Societatis theologi revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die S. Matthiae, 1908.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

IOSEPHUS CEPPETELLI Patr. Const. Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Prati, die 22 Iulii 1908, Can. AEMIDIUS LUMINI, Vic. Cap.

LECTORI

Tractationem de Novissimis, quae agenda quidem erat cum theologiam dogmaticam tradebamus, at dilata fuit deficiente spatio temporis, nunc tandem quomodocumque absolutam edere curamus, eo quod octogesimum annum ingressi ad illa veluti iam nobis instantia properamus, non levi etiam ad id monitione singulari naturaliter praeoccupati. Ipsam eodem pacto confecimus quo ceteros tractatus, Scripturis potissimum traditionique catholicae insistentes, advocata in auxilium, cum opus fuit, recta ratione, quae dogmatibus elucidandis non pervertendis inservire debet. Et sane illud prae oculis semper habuimus, ut Scripturarum loca omnia, praecipua saltem declararemus, quae ad hanc spectant materiam. Cum vero in hac re non pauca occurrant plus minus incerta, verisimile est, cuiusvis lectoris curiositati non semper, forte nunquam nos fecisse satis; verum si effectus desideratur, voluntas certe scriptoris non defuit. Fundamentum haec scribentes suppeditare voluimus piae Novissimorum utilique meditationi, cuius usum christiano homini assiduum esse oportere nemo est qui ignorat. Hoc enim, Spiritu Sancto inspirante, certissimum est effatum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.* Eccli. VII. 40:

בכל מעשיך זכור אחרית
ולעולם לא תשחת

ut habet textus originalis mox repertus.

Concionatoribus quoque, qui non raro imaginationi plusquam oportet indulgere solent, gratum opus fecisse Dei gratia confidimus.

Id unum te monere volo, bone lector, ut cum ad praecedentem tractatum provoco, ad eum recurras qui inscribitur: *De Deo creante et elevante.*

Scribebam die festo S. Ignatii Fundatoris S. I. 1908.

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE NOVISSIMIS

Novissima (*τὰ ἔσχατα*) ea intelligimus, quae tum singulis hominibus tum universo humano generi ultima sunt eoque spectant ut definitum statum in aeternum hominibus constituant. Appellatio *Novissima* congruens latinae linguae (quemadmodum graece dicuntur *τὰ νεώτατα, τὰ νέατα*) hausta est ex Scripturis, quae de his subinde loquuntur, Eccli. VII. 40. *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.* Prov. V. 11. *Ne forte gemas in novissimis quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum.* Cum ista sint *ἔσχατα,* haec tractatio a recentioribus vocari consuevit *ἐσχατολογία.* Novissima huc redeunt, sunt nempe *Mors,* eamque sequens *particulare Iudicium,* tum *universale Iudicium* illudque praevertens *Resurrectio mortuorum,* tum *Infernus* ac *Paradisus* quem frequenter praevertit *Purgatorium.* De his singillatim quae digna sunt scitu quaeque concionatoribus quoque usui esse possunt, breviter exponemus theologico more.

MORS

Mortem esse per se naturalem homini, in statu autem praesenti poenam esse peccati demonstratum est in tractatione *de Elevatione humanae naturae* etc. et *de Peccato originali.* Illud quoque quod anima superstes sit funeri et vitam perpetuam sit victura, demonstravimus in Tractatu *de Homine.* Cum autem mors, eo quod est separatio animae a corpore, utramque partem afficiat, corpus relinquens sine vita, animam sine corpore, quaerere heic licet primo ea quae occasione mortis contingunt animae, quomodo scilicet se habeat anima exuta corpore et quis sit modus eius operationis.

§. 1. — Anima separata non est perfecta persona.

1. Cum est corpori coniuncta anima, quemadmodum ex ipsa et corpore una exsistit completa natura, ita una est persona, qui est homo. Quia vero anima pars est huius naturae, ita et pars personae humanae dicenda est. Ex hoc porro est consequens, quod cessante humana persona per mortem; cum anima separata eadem maneat ac prius, si prius persona non erat, sed tantum pars personae, talis quoque sit post mortem. Itaque anima separata, ut cum Caietano et Suarez loquamur, est semipersona (cf. Suarez De Homine l. 6. c. 1.) h. e. persona incompleta.

Sane anima separata est substantia per seipsam subsistens et propriae operationis capax, intelligendi nimirum et volendi, habet idcirco quod primo requiritur ad rationem personae: quia vero natura sua, etiam separata, est communicabilis alteri nempe corpori, imo exigit hanc communicationem, si perfecte exsistere secundum suam naturam debet, ideo deficit a perfecta ratione personae, cuius proprium est esse incommunicabilem, communicatione quidem qua perficiatur: est scilicet anima persona incompleta.

Et re quidem vera, si anima separata, quae non est homo, esset persona completa, dicenda foret alia prorsus esse a persona hominis qui prius exsistebat; nam duae personae completae nequeunt esse idem neque altera ad alteram spectare: atqui anima separata adhuc est hominis prius exsistentis, cuius etiam nomen sibi vindicat; ergo.

2. Quia vero anima est ens subsistens et per seipsam operandi capax, quidquid in statu separationis operetur, ei imputatur tanquam *principio quod:* id vero est quidem satis, ut aliquo pacto dicatur persona, nondum tamen sufficit ut dicatur persona completa; quia, ut dicebamus, totum hoc ens subsistens et operans exigit communicari corpori et esse actu partem hominis, quod alienum est a ratione personae completae.

3. Ex fontibus revelationis habemus, animam superesse corpori et operari separatam, intelligere nempe ac velle: cf. Luc. XVI. 25. seqq. Apoc. VI. 9. seq. 1. Regum. XXVIII. 15. seqq. 2. Machab. XV. 14. seq. ubi animae esse dicuntur eaedem, quae olim homines cum corporibus erant. Utrum vero anima separata sit persona completa necne, quaestio est quam revelatio directe et expresse non attingit, attingit vero indirecte et implicite, cum docet animam rationalem esse formam corporis, ex quo sequitur quod statuimus.

§. 2. — Anima separata cognoscit instar eorum, qui sunt spiritus puri.

1. Quaeritur, quomodo anima separata naturaliter operetur. Difficultas praecipua sita est in operatione intellectus; si enim haec praesto sit, ceterae operationes facile consequuntur. Cum vero intellectus separatus nequeat amplius determinari ad actum per sensationem, quaeri primum potest, an ei suppetat naturalis alius intelligendi modus: quod dubium exinde est, quia hoc dato, videtur ipsa frustra uniri corpori, imo, si alter modus est perfectior, perniciosa videtur animae unio cum corpore.

2. Ut id declaretur, praestituendum est, animam uniri corpori ut exsistat homo, qui est finis immediatus unionis, et sic quoque convenienter resurrectionem futuram ut restituatur homo. Quia vero repugnat naturam constitui ex elementis violenter unitis, dicenda est unio animae esse naturalis, ideoque illam cedere in eius utilitatem et perfectionem. Sane constat animam potiri facultate sentiendi, quae certe non competit cuilibet spiritui, ideoque ei naturalem esse unionem cum organo corporeo necessario ad sensationem; idem porro subiectum sentiens et intelligens determinari sponte potest ope sensationis ad intelligendum: ut idcirco hic appareat naturalis eius modus intelligendi, qui cum natura sensitiva optime cohaeret. Unde concedendum est, separationem animae a corpore, qua dissolvitur homo et anima privatur exercitio sensationis, esse praeter animae naturam.

Praeter inquam non *contra;* quoniam spiritus exsistere potest absque corpore. Quocirca etsi anima separari possit, non frustra unitur corpori; unitur enim ut exsistat homo, ut anima sentire possit et per sensibilia ad intelligibilia provehi: nam congruit naturae entis sentientis simul et intelligentis ut per sensibilia ad intelligibilia promoveatur.

Cum vero anima, eo quod spiritus est, possit separata exsistere, ideoque sit ei naturalis quoque *ex consequenti* status separationis, habet proinde, posita separatione, *ex consequenti* naturalem alium cognoscendi modum; operatio enim sequitur esse et modus operationis modum essendi: quapropter cum ei competat duplex essendi modus, duplex quoque necesse est competat operandi modus, alter naturalis per se, alter naturalis ex hypothesi seu ex consequenti.

Tenendum est ergo non repugnare haec duo, tum animam naturaliter uniri corpori, tum animae praesto esse alium intelligendi modum, cum praeter naturam vivit in statu separationis.

3. Quaeritur itaque quis iste sit modus, qua in quaestione praecisio fit ab ordine supernaturali, in quo reapse anima versatur et modus quaeritur, quo illae quoque instruuntur animae, quae quolibet bono et auxilio supernaturali sint destitutae.

Iamvero ad cognitionem tria requiruntur, facultas intellectiva, obiectum cognoscibile, et applicatio facultatis ad illud, sive determinatio intellectus ad hoc vel illud cognoscendum, quae determinatio extrinsecus adveniat. Nullus enim intellectus finitus est ex se ipso solo determinatus ad cognoscendum, sic enim omnia ab initio cognosceret: est quidem facultas omnia cognoscendi sed in potentia, quae per aliquod extrinsecum reducenda est ad actum. Ita in praesenti statu per sensationem excitatur intellectus ad apprehendendum modo suo h. e. universaliter id quod sensu percipitur singulariter; cum enim anima sit idem principium sentiens et intelligens, consequens est, ut exsistente sensatione, intellectus determinetur ad illud idem quod sentit apprehendendum universaliter: sensus vero ab obiecto in ipsum agente determinatur. Cum ergo animae separatae insit facultas intellectiva, adsint obiecta cognoscibilia proportionata capacitati intellectus humani, quaestio huc tandem redit, an sit et quodnam sit determinans intellectus humani seorsim exsistentis.

Quod aliquod determinans debeat esse, manifestum est; anima enim separata est ens vivens in actu primo, porro ens vivens in actu primo ordinatur naturaliter ad operationem: exigit igitur, ne sit frustra, id quod necessarium est ut actu operetur, hoc autem pro intellectu est aliquod determinans; ergo.

Quaerenti autem quale sit huiusmodi determinans, Scholastici generatim cum s. Thoma respondent, esse quid simile illi quo spiritus puri naturaliter determinantur; cum enim illorum more vivat, simili quoque modo eam convenit operari. Cum autem de spiritibus puris nobis non sit in praesenti quaestio, opus non est ut inquiramus quomodo spiritus puri determinentur naturaliter ad intelligendum: sed satis est, si dicamus, eodem pacto quo puri spiritus, animam separatam determinari ad intelligendum. Cuius ratio est, quia ex una parte, ut anima vivat in actu secundo, postulat determinationem, ex alia vero parte, cum separata sit, non alius ei suppetit determinationis modus: quoniam ergo vivit separata, scilicet tanquam spiritus purus, est ipsi modus ille possibilis qui puris spiritibus competit.

4. Certum est ex Scripturis animam separatam naturaliter cognoscere plura: anima sane damnata nullo gaudet supernaturali dono, nihilominus anima divitis in inferno videt Abrahamum, Lazarum suamque flammam, suorumque fratrum memor fuit, quae sunt cognitiones

singularium: sed eius discursus ad Abrahamum notitias quoque universales ostendit. Luc. XVI. 25. seqq.

§. 3. — Reiiciendus abnormis thneto — vel hypnopsychitarum error.

1. Satis sit eruditionis gratia, historice hypothesim referre, quam modo dicta inanem esse ostendunt. Error est quem Eusebius H. E. VI. 37. nemine peculiariter indicato, attribuit Arabibus: animam nempe simul cum corpore interire, restituendam rursus cum corpora resurrexerint. Damascenus *de Haeresibus*, haer. 90. Thnetopsychitas recenset inter eos haereticos, qui post Marciani aetatem exstiterunt, eosque dicit animam humanam similem animae pecudum inducere, eamque velle perire cum corpore. Qui fuerint isti, non dicit Damascenus, fuisse censendi sunt de grege Epicuri, et peius errabant quam Arabes, de quibus Eusebius meminit: sed illis omissis ad Arabes redeamus, quorum opinionem Tatianus adoptasse videtur verbis citatis in praeced. trac. Th. 32. Ait enim in Orat. adv. Graecos n. 13.: « Non est immortalis anima ex se ipsa sed mortalis: potest tamen eadem non mori. *Moritur enim et dissolvitur cum corpore, si veritatem ignoret: postea autem resurgit in fine mundi* una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens..... Si degat solitaria (absque Verbo quod est lux), deorsum ad materiam vergit, una cum carne moriens ».

2. Fundamentum huius opinionis illud fuisse videtur, quod poenas mali censerentur subituri non esse, nisi postquam resurrexerint et iudicati fuerint: cum ergo interea nihil anima haberet quod ageret aut pateretur, ne otiosa exsisteret, eam interire maluerunt. Forte somnum quendam seu lethargum cogitarunt, ut Hypnopsychitae potius dicendi essent.

E contrario Tertullianus putabat animas omnes defunctorum (martyribus forte exceptis) ante iudicium futuras apud inferos. *De Anima* c. ult. « Quid ergo, ait, fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animae nec in viventibus dormiunt, corporum enim est somnus ». Tum, postquam probaverit, animam ex se sine corpore capacem esse laetitiae et tristitiae, concludit: « Nemo dubitabit, animam aliquid pensare apud inferos ».

Ceterum doctrina Arabum absurda est: adversatur enim saltem immortalitati, ne quid dicamus de problematica illa affirmatione, quod anima, quae restituitur h. e. rursus creatur, eadem sit ac illa quae prius exstitit; cuius quidem rei fatemur nihilominus nos non videre repugnantiam. Praeterea haec sententia est omni destituta fundamento;

nam, ut videbimus, statim post mortem, praemium vel poena a iusto iudice animae cuilibet rependitur.

3. Pro quodam tamen spiritali somno animarum post mortem provocatur ad quaedam testimonia Scripturarum V. F.: locus enim ad quem omnes confluunt animae vocatur terra *oblivionis* Ps. LXXXVII. 13. terra *perditionis* אבדון ibid. 12. quo nomine apud Iob. XXVI. 6. insignitur שאול, illudque nomen Apoc. IX. 11. dicitur esse nomen regis abyssi redditurque graece ἀπολλύον, h. e. *exterminans:* item locus animarum vocatur *tenebrae* Ier. XIII. 16. *silentium* דומה Ps. XCIV. hebr. 17. ibique habitantes dicuntur carere cognitione iustitiae ac mirabilium Dei Ps. VI. 6. nec posse Deum laudare Ps. CXIII. 17. Isa. XXXVIII. 18. 19. iidemque vocantur רפאים Ps. LXXVII. 11. Prov. II. 18. IX. 18. XXI. 16. Iob. XXVI. 5. h. e. flaccidi, absque viribus, inanes, umbrae.

4. Verum advertendum est, animas iustorum, vigente Testamento veteri, destitutas adhuc fuisse beatitudine sita in visione et possessione Dei, homines praeterea Testamenti veteris caruisse perfecta notitia status futuri, eamque, ab initio confusam, explicatam esse gradatim procedente tempore. Porro frequenter scriptores inspirati comparant statum earum animarum beatitudine carentium cum statu praesentis vitae, in qua homines agunt, laetantur, Deum cognoscunt, laudant et sacris ritibus colunt eiusque festivitatibus intersunt: in qua comparatione animae separatae, his, quae propria sunt hominum carentes, videntur in tristiore conditione versari, unde illae formulae, quibus earum status describitur. Ac quamvis notitia circa statum animarum post mortem valde diminuta esset penes homines T. V., nondum enim propalata erat sanctorum via Hebr. IX. 8., sapientiores tamen, qui verba a Domino citata perpendebant: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob,* vivere illas ideoque et operari aliqua opera vitae certum habere poterant, quemadmodum ipse Christus significavit Matth. XXII. 31. 32. Et iam apud Isaiam XIV. 9. seq. in inferis vita actuosa apparet, itemque apud Ieremiam XXXI. 15. seqq. et labente tempore, cum N. T. appropinquaret, obiectum certae spei est vita aeterna Tob. XII. 9. 2. Mach. VII. 9. seqq. tum constat animas iustorum esse in pace Sap. III. 3. et sciunt eas orare pro vivis 2. Mach. XV. 12-16. Itaque neque doctrina T. V. etsi adhuc incompleta, excludit vitam eamque actuosam ab animabus separatis.

Perperam autem ad somnum animarum traduceres formulam Scripturis frequentem, qua dormire dicuntur qui moriuntur, quod expendemus §. 13.; ipsa enim hominis mors aequiparata somno significatur, non status animae post mortem.

§. 4. — Probabile est animam separatam posse movere corpora et posse a loco ad locum transire, abiectis nihilominus spiritismi deliramentis.

1. S. Thomas priori quaestioni absque haesitatione respondet negative 1. p. q. 117. a. 4. hoc usus argumento. « Dicendum quod anima separata sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus. Manifestum est enim, quod cum anima est corpori unita, non movet corpus nisi vivificatum; unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animae ad motum localem. Manifestum est autem quod ab anima separata nullum corpus vivificatur; unde nullum corpus ei obedit ad motum localem, quantum est de virtute suae naturae, supra quam potest ei conferri aliquid virtute divina ». Et q. 110. a 3. ad 3^{m} ait: « virtus motiva animae contrahitur ad corpus unitum, quod per eam vivificatur, quo mediante alia potest movere: sed virtus angeli non est contracta ad aliquod corpus: unde potest corpora non coniuncta localiter movere ».

Supponimus esse in potestate spiritus movere localiter corpora: res est quidem non adeo facilis intellectu; quoniam experientia nobis non ostendit nisi motum impressum corpori ab alio corpore quod et ipsum sit in motu. Verum hac de re iam satis diximus in Tract. praeced. de Deo Creante Th. 22. S. Thomas sententiam suam, *vim* nempe *motivam animae esse contractam ad corpus sibi unitum et a se vivificatum* demonstrat ex facto, quod, exsistente unione, membrum carens vita quamvis unitum non obedit animae ad motum localem.

2. Dubitare licet an argumentum s. Doctoris sit efficax, quod huc redit: si videlicet anima separata movere posset corpora vi suae naturae, idem posset quoad membrum mortificatum, unitum sibi (a): atqui id non usuvenit; ergo. Verum forte ratio specialis intercedit et propria status unionis, cur membra mortificata movere anima nequeat. Quia scilicet exsistente unione eaque id exigente, motus membrorum est organicus: concurrunt nimirum ambo, anima et corpus; nihil ergo mirum, si membro exsistente inepto, motus cesset.

At anima separata, soluta lege unionis, quemadmodum intelligere naturaliter potest ad instar purorum spirituum, cur non eodem pacto operari extra se poterit? Nam videtur eadem ratione idem argumentum confici posse: anima unita nequit absque praevertente sensatione intelligere; ergo nec separata; quod tu tamen negas.

(a) Non est credendum, nullum influxum vitae derivari in membrum mortificatum; secus enim putresceret.

Sane nequit admitti spiritum, quicumque sit, nihil extra se posse operari; omnis enim substantia est activa, ut valeat aliquid alteri conferre et sic concurrere ad perfectionem universi. At si extra se potest anima separata operari, id certe poterit erga corpora, quae cum sint inferioris naturae, eidem naturaliter subduntur. Operatio autem in corpore eo redit ut novi modi se habendi in eis excitentur; id porro non fit sine motu, cum omnis immutatio corporum vel consistat in motu vel dependeat a motu: ergo.

3. Atque haec de potestate. Ad factum vero quod spectat, advertimus in primis, quod ut haec vis animarum *separatarum* se exerceat, non est opus ut se exerceat in hac tellure, aliud est enim movere corpora et aliud movere haec corpora: satis est autem ut id agant ubi sunt: neque deinde opus est, ut haec actio sit sensibilis nobis. Praeterea cogitandum est, in conditione praesenti animas in statu finali versari (remote saltem in purgatorio), divinamque Providentiam administrare res mundanas per Angelos bonos, Angelis vero malis permissum esse nos vexare et tentare: quo ordine providentiae stante, nihil reliquum est, quod heic agant animae mortuorum, nisi ex speciali ratione Deus id permittat, aut iubeat. Idcirco quod heic animae defunctorum agere, prout eis liberet, non possint, id potius ex conditione earum status atque ordine divinae providentiae colligendum puto. Quem ordinem divinae Providentiae Ecclesiae sensus ita iudicantis satis ostendit.

4. Quod autem animae possint naturaliter ex alio loco in alium transire et sic se movere, mihi consequens videtur ex eo quod vivant more spirituum purorum quibus id certe competit. Vivunt utique imperfectius, sed mutare sedem estne aliquid nimis eximium, exigens magnam virtutem in iis, qui sua natura sunt independentes a loco et indifferentes ad quodlibet *ubi?*

Profecto huc non veniunt nec nobis apparent, nisi volente aut permittente Deo: verum id non ex eo est quod animae separatae id naturaliter non possint, sed eo quod subsint divinae Providentiae divinoque regimini.

5. Certe fabulosae sunt plurimae apparitiones animarum. Opinio quidem obtinuit olim inter infideles et etiamnum obtinet nedum apud infideles sed et christianos Spiritismi cultores, animas mortuorum evocatas apparere hominibus sub specie sensibili, eos alloqui et docere atque nonnulla edere mira. Haec phaenomena contingere non negamus, at negamus, ea in acceptis referenda esse animabus defunctorum. Id profecto Ecclesia negat, quae huiusmodi magicas operationes auctori Satanae in acceptis refert, eumque loco animarum evocatarum apparere censet atque ita credulos homines decipere.

Nec sane quod animae evocatae respondeant demonstrare valent Spiritismi defensores; nam cum a multiplici causa effectus aliquis dimanare possit, eum uni asserere, antequam demonstres aliis causis locum esse non posse, illogicum est. Atqui certum est, effectus illos daemonibus tribui posse, quorum proprium est mentiri (Joan. VIII. 24.) et seducere homines (Apoc. XII. 9.): cf. dicta de Angelis malis in Tract. *de Angelis*.

Velle autem demonstrare, nullam aliam esse causam, eo quod daemones nulli sint, nimis infirmum est et a Spiritismi cultoribus irrationabiliter profertur. Etenim exsistere malos Angelos inimicos humanae naturae omnis Scriptura et christiana Traditio testatur (cf. Th. 66. Tr. praec.): cum autem Spiritismi cultores esse spiritus fateantur et credant, nulla ratio est, cur negent, esse alios spiritus praeter animas hominum, eosque spiritus tum bonos esse tum malos.

6. Certe vetuit Deus ne quis *hariolos scisciteur, pythones consulat aut quaerat a mortuis veritatem* Deut. XVIII. 9. seqq.: hoc praeceptum morale est; nam subditur v. 12. *Omnia enim haec abominatur Dominus et propter huiusmodi scelera delebit eos.* Iam vero quod spectat ad animas iustorum, praesumendum non est eas morem gessuras superstitioni vetitae, vel permissurum id Deum, nisi ex speciali ratione, quemadmodum contigit animae Samuelis 1. Regum XXVIII. 11. seqq. Quoad animas vero damnatas, ut evocatae respondere possint vocantibus, necesse est 1° ut intelligant se vocari: 2° ut Deus illud permittat; carcere enim detentis non integrum est facere quidquid libet: atqui 1° huius cognitionis medium naturale nullum est, nisi Deus revelet: revelatio autem gratis prorsus assereretur; qua non exsistente 2° nec permissioni locus est.

Dices: nonne vetitum est quoque daemones consulere et nihilominus ipsi respondent et mira patrant iuxta desideria petentium? Respondeo: discrimen esse inter daemones et animas hominum defunctorum: illis enim ad exercendam hominum constantiam et fidelitatem permissum fuit hominem ab initio tentare, victumque vexare et magis magisque ad malum allicere, quae impugnatio daemonum etiam post Christum relicta est ad luctam, ut idcirco sit nobis colluctatio *πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*. Eph. VI. 12. Hae sunt quas Ecclesia appellat *aereas potestates*, quae in hoc mundo versantur; nam, ut ait Hieronymus in h. l. « omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui caelum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus » : eaedem naturali omnium quae sunt et fiunt cognitione instructae quam per peccatum non amiserunt (cf. dicta

§. 2.), cognoscere possunt quid homines velint et poscant, quod quidem signo aliquo exteriore prodiderint. At animae humanae non sunt huiusmodi: nulla est nobis cum illis lucta; neque in hoc aere versantur. Licet ergo vetitum sit, eo quod per se malum, habere commercium cum daemone, id tamen est possibile et quos Deus permisit adversarios nostros esse et impugnatores, eosdem permittit superbas hominum mentes decipere praestigiis suis vanisque responsis. Venit sane *Christus, ut dissolvat opera diaboli* 1. Ioan. III. 8., *at princeps huius mundi eiiciatur foras* Ioan. XII. 31.; at opus est fideles suos eidem cooperari, ut victoria de diabolo in ipsis adimpleatur.

7. Augustinus de apparitionibus disputans animarum, non eas censet apparere, sed similitudines earum sensibiles per Angelos fieri *De Cura pro mortuis* n. 12. et 16. « Cur non istas operationes angelicas credimus per dispensationem providentiae Dei bene utentis et bonis et malis »? et n. 18. « Fatendum est nescire quidem mortuos quid heic agatur.... possunt ab Angelis, qui rebus quae aguntur heic praesto sunt, audire aliquid mortui ». Nihilominus, si Deus velit praeter consuetum ordinem naturae, possunt heic apparere et operari n. 19. « Non ideo putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuvandis martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt ».

Atque haec de anima per mortem separata a corpore nunc dicta sufficiant: quis vero sit eius status; quid agat aut patiatur, in sequentibus novissimis dicendum erit.

§. 5. — Corpus mortuum idem est numero ac corpus vivum.

1. Non est scilicet aliud et aliud, sed, dempta vita, eadem substantia corporea manet, quae prius adhaerebat animae. Si alia et alia esset substantia, multoque magis si substantia corporis viventis differret essentialiter a substantia corporis mortui, non esset profecto idem numero corpus mortuum et corpus vivum; quae enim essentia seu specie differunt, multo magis differunt numero; nequit enim aliquid ad duas species pertinere.

2. Sepositis systematis philosophicis, quae poene nihil habent certi, probamus quod proposuimus ex doctrina et sensu Ecclesiae. Sane S. Corpus Christi in sepulcro idem fuit numero ac corpus animae sanctissimae prius coniunctum, haec enim est ratio, cur divinitati manserit unitum; si aliud fuisset corpus seu alia substantia corporea, cur ei

mansisset unita divinitas, de qua hoc tantum scimus, eam nunquam dimisisse quod semel assumpsit? Atqui quod in corpore Christi valet, idem valet et in corporibus nostris; eadem enim est natura: ergo.

Dices, corpus Christi mortuum idem fuisse ac vivum, eo quod idem semper erat suppositum, in quo subsistebat, nempe persona.

Verum id non est satis. Quaero enim: si anima Christi rediens, relicto corpore sepulto, aliud novum assumpsisset, an putas idem futurum fuisse corpus ac prius? non puto: et tamen idem fuisset suppositum. Ergo haec identitas non sufficit, sed identitas postulatur in ipsa realitate corporis. Mirum profecto potuisset contingere, hac singulari posita doctrina. Potuisset scilicet Christus resurgere, manente cadavere in sepulcro: quis, quaeso, credidisset tunc eius resurrectionem?

3. Ecclesia veneratur reliquias Sanctorum quae dignae sunt honore, eo quod fuerint templum Spiritus S. et viva membra Iesu Christi, cooperantia animae in exercitio virtutum, ideoque cum gloria sint resurrecturae (Conc. Trid. sess. 25. *decret. de Invocatione Sanctorum*). Atqui si cadaver est alia substantia a corpore vivente, falsum est, quod reliquiae (heic deest quoque suppositum idem) fuerint templum Spiritus S. viva Christi membra etc. ergo.

4. Accedit sensus communis hominum: si enim non eadem substantia manet sed alia succedit, ex anatome cadaveris nihil inferre liceret ad obtinendam notitiam corporis olim vivi; quis enim certiores nos facit eamdem mansisse dispositionem partium et affectionem? imo cur eaedem manerent? omnis enim substantia specie differens (ut heic contingeret in hypothesi quam refellimus) suas habet peculiares proprietates et qualitates.

Cf. dicenda longe infra (§. 53.) de resurrectione.

§. 6. — **Debitum mortis est universale.**

1. Distinguimus duas quaestiones. Quoniam per peccatum inducta est necessitas moriendi, omnes autem peccaverunt, videtur sponte consequi, omnes, nullo excepto, esse morituros. At quia nonnulli scripturarum textus videntur aliquos ex hominibus excipere ab hac universalitate mortis, ut certa a minus certis secernamus; duplicem instituimus quaestionem: 1ª est quaestio iuris: an debitum moriendi omnes prorsus attingat qui peccatum Adami peccaverunt, 2ª est quaestio facti, an reapse omnes, nemine excepto, sint morituri.

Debitum mortis huc redit, ut homines sint obnoxii poenae mortis, sint mortales eo quod peccaverunt. Necessitas in praesenti statu oritur ex lege Dei statuentis poenam mortis.

Est quidem homini mors naturalis, at per gratuitum donum collata immortalitate, quae amitteretur solum ob peccatum, nunc necessitas moriendi oritur ex lege punitiva peccati, ut peccatum fuerit ratio legis, lex mortis. Neque enim eo ipso quod homo peccavit, consequebatur immediate amissio immortalitatis seu poena mortis, sed dignitas alicuius poenae: quod autem haec poena fuerit mors, id ex libera legislatoris voluntate processit, qui praenuntiavit poenam mortis si Adam inobediens foret. Lex quidem praecessit, quemadmodum usuvenit in qualibet poenali lege, sed supposito peccato, propter quod comminatio poenae facta est.

2. Iam vero post ea, quae disputata sunt in Tr. *de Peccato originali*, ad quem, si opus est, reiicimus lectorem, haud necesse est pluribus demonstrare, debitum moriendi esse universale. Eatenus sane se porrigit quatenus se porrigit peccatum primi hominis, cuius est poena; nam per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit eo quod omnes peccaverunt: cum ergo omnes obstricti sint peccato originali, obnoxii quoque sunt poenae, omnes scilicet sunt mortales. Aliis verbis: amisso per peccatum dono quolibet gratuito relictaque sibi ipsi natura, necesse est omnes subiectos esse morti; nam hoc compositum homo est naturaliter dissolubile seu mortale. Quod spectat ad b. Virginem immunem a peccato originali, dictum est in Tr. *de Immaculato Conceptu*.

§. 7. — Probabilissimum est homines postremos in fine mundi viventes non esse morituros.

1. Expendere oportet tres s. Scripturae textus et primum verba Domini Gen. II. 17. quibus comminatio poenae mortis continetur. *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Dictio ביום seq. infin. vel valet pressius *eo die quo*, vel laxius *quando*, ut hoc ipso capite v. 4. Hinc difficultas: nam poena, quam comminatur Deus, est ipsa mors מות תמות: moriendum ergo Adamo erat cum peccavit: coniungenda scilicet tempore erant haec duo peccatum et mors; atqui longo post tempore mortuus est Adamus: quomodo ergo accipienda verba huius sententiae poenalis?

2. Symmachus difficultatem sentiens reddidit verba hebraica θνητὸς ἔσῃ: *eris mortalis:* quam interpretationem laudat Hieronymus, imo praefert vulgatae inquiens: « melius interpretatus est Symmachus inquiens: *mortalis eris. De hebr. quaest.* in c. 2. Gen. Eandem interpretationem recepit Theodoretus *Quaest. in Gen. Interr.* 38.ª atque adhi-

buit Chrysostomus hom. 17. *in Gen.* n. 9. inquiens: « Nam licet multos annos vixerint, attamen a quo tempore audierunt: *terra es et in terram ibis* et sententiam mortis acceperunt, *mortales fuerunt* et ex illo tempore fuerunt perinde ac si quis illos dicat mortuos fuisse. Hoc igitur et Scriptura significans dixit: *quocumque die comederitis, morte moriemini* (a) pro eo ut diceret: sententiam accipietis, mortales posthac vos futuros ». Ita etiam reddit versio Syriaca.

In idem redit interpretatio Pseudo-Ion. et Targ. hieros.: *reus eris mortis.* Haec interpretatio probabilis est, cum praesertim ipse Deus postea exsequens sententiam suam, mortalitatem enunciet et mortem futuram: *donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es* (en mortalitas) *et in pulverem reverteris* (en mors futura). Gen. III. 19.

3. Verum non omnibus haec interpretatio videtur satis consona verbis Scripturae, quae non tam mortalitatem quam mortem; cum peccaverit Adam, subeundam enunciant. Hinc Tirinus in h. l. ita rem explicat: « Adamus, eodem quo peccavit, momento coepit mori corpore, nempe longa illa phtiseos seu internae corruptionis morte, qua, pugnantibus inter se perpetuo elementis et humoribus et se mutuo corrumpentibus, vix nati morimur et ad interitum ducimur ». Haec aliis videntur longius petita (Hummelauer in Gen. ibid.): placuere tamen Augustino, qui *de Peccat. meritis et remiss.* l. 1. c. 16. ait: « Tunc morbo quodam ex repentina et pestifera corruptione concepto factum in illis est, ut illa, in qua creati sunt, stabilitate aetatis amissa, per mutabilitates aetatum irent in mortem: quamvis ergo annos multos postea vixerint, illa tamen die mori coeperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt ». Si res bene perpendatur, haec interpretatio redit ad praecedentem: ponitur enim eum incipere mori qui mortalis est, ut idcirco perinde est dicere: *incipies* (eo pacto quo explicatum est) *mori*, atque: *eris mortalis.* Quapropter Chrys. l. c. hac quoque utitur explicatione.

4. Hummelauer l. c. aliter interpretatur: « Planissima, ait, solutio est, ut sensui obvio verborum insistentes dicamus, Deum reapse Adamo comminatum esse mortem eo ipso tempore, quo peccaret, secuturam. Verum, uti a veracitate et fidelitate non recedit, qui maius promissis concedit praemium, ita neque qui leviorem quam minatus erat infligit poenam. Mortem illico secuturam minatus erat Deus: mox sententiam benignus exsequi differt ». Prona haec interpretatio videtur; subest nihilominus gravi, ut puto, difficultati.

(a) *oi ó* verba, quae textus hebr. in hoc commate effert sing. numero, reddunt plurali.

Si enim ita est, cum mortem comminatus est Deus, in eo signo rationis futurum humanum genus ex Adamo peccante non cogitabat Deus: quia, admisso peccato ab Adamo, filii eius, iuxta illam sententiam Domini comminantis mortem, nulli exstituri erant: nec proinde in hac hypothesi locus erat propagationi peccati originalis; ideoque nondum ille erat praestitutus ordo et nexus familiae humanae cum primo parente, unde consequens erat, ut si ille peccasset, ceteris quoque suis filiis peccatum imputaretur (cf. Tract. de Pecc. orig. Th. 3.). Idcirco cum Adamus peccavit, peccatum eius fuit tantum personale, non peccatum naturae; quo ergo iure deinceps posteris est imputatum?

5. Itaque ut concludam: vel haec recentis cl. auctoris vel antiquior probata Patribus interpretatio legis illius poenalis admittenda est: cum haec recens, uti minimum dicam, certa non sit, imo nec satis probabilis, restat ut antiquior vere probabilis, si non certa, habeatur. Ad quod forte iuverit advertere, non eundem prorsus sensum opus esse ut gignant verba haec *quando peccabis, morieris* dicta homini iam mortali, cuiusmodi nos sumus, et dicta homini privilegio immortalitatis aucto, destinato nempe ex voluntate Dei antecedente (Tr. praec. Th. 55.) ad vitam immortalem; *creavit* enim *Deus hominem inexterminabilem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ* Sap. II. 23. qualis erat Adamus: si enim homini dicuntur iam mortali, non est locus alteri intelligentiae nisi ut peccatum immediate sequatur mors: at dicta Adamo nondum mortali, poterant id in primis eidem significare: immortalitatis donum amittes seu eris mortalis, moriturus deinceps cum vires corporis tandem deficient.

6. Iam vero si poena peccati, poena utique universalis, est mortalitas, quam naturaliter sequitur mors, non adversatur huic sententiae a Deo latae, quod aliqui, mortales cum sint, reapse non moriantur actu. Ergo cum sententia mortis in paradiso lata componi potest factum quod aliqui non moriantur.

Ceterum integrum est semper Deo a qualibet sua lege vel universalissima, quos ipse velit excipere.

7. Alterum Scripturae testimonium est 1ª Cor. XV. 51., cuius tamen non una est lectio et videndum quae sit praeferenda. Prima sit haec lectio, quae in vulgata occurrit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.* Altera lectio: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur: πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.* Tertia lectio: *Omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur: πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.*

Iam vero prima non reperitur nisi in uno codice graeco (D) nec in ulla versione praeter latinam: ipsa vero apud latinos iam ab aetate

Tertulliani frequentior erat, exstat in cunctis fere codicibus latinis, eamque adoptarunt fere omnes latini Patres.

Altera occurrit in sex codicibus graecis (ℵ A C F G unoque minusculo); sed, ut monet Estius heic, unus ex his codicibus (A) est manifeste corruptus, tres alii (F G minusc.) tertiae lectionis retinent vestigia. Praeterea alios quoque codices graecos hanc habuisse lectionem colligitur ex Hieronymo Epistola ad Minervium et Alexandrum 119. 2. seq. et ex Augustino epist. ad Consentium 205. 2. idemque Hieronymus testatur, eam inter graecos receptam fuisse a Didymo. Rursus ex versionibus haec lectio obtinet apud Armenam et aliquos codices Aethiop., imo quidam quoque codices latini, testantibus Hieron. et August. eandem exhibebant.

Tertia lectio communis dici potest inter graecos: longe maior numerus codicum eam praefert (B. E K. L P et omnes fere minusculi), eam legunt omnes fere Patres graeci. Praeterea inter versiones eandem habent Syra, Coptica, Gothica codices multi Aethiopici atque olim, teste Hieronymo, legebatur quoque in non paucis codicibus latinis, ipseque Hieronymus eadem tanquam genuina utitur epist. ad Marcellam 59. 3. et in Isai. 51. 6. etsi alibi epist. ad Miner. et Alex. tantum ut probabilem eam recipiat. Cf. Cornely. Comm. in 1. Cor. h. e.

Itaque disputare licet, quaenam ex his lectionibus habenda sit genuina; neque ab hoc prohibemur decreto Tridentino Sess. 4.ª de authentia Vulgatae; nam eam non praetulit textui originali, cui auctoritatem, quam semper et necessario obtinuerat, integram reliquit: et cum ipsa aetate Tridentini Concilii dubia iam esset lectio huius loci, dubitationem decretum non sustulit, quo cogimur vereri libros integros cum omnibus suis partibus, prout consueverunt legi in Ecclesia catholica (a) et habentur in veteri vulgata latina; atqui textus noster non semper consuevit legi neque nunc solet in universa Ecclesia catholica eo pacto quo legitur in nostra vulgata. Ut idcirco ipse Canus (loc. theol. II. 14.) qui modum excessit in declaranda amplitudine decreti Trid., negaverit certum argumentum sumi posse ex verbis huius textus in Vulgata; quia «neutra lectio (vulgata et graeca) a viris Ecclesiae reprobata est, quin admonuere semper lectionem dubiam et variam esse, nec alterutram ex eis ut certam et exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur quia neutram partem doctores Ecclesiae tanquam certam et exploratam asseruere: quod idem in alia particula

(a) Cum Ecclesia catholica non sit tantum Ecclesia latina, Patres Tridentini commendantes lectionem consuetam in Ecclesia catholica, ad alios quoque textus in Ecclesia probatos, praesertim ad originale graecum pro N. T. respexisse dicendi sunt

qualibet latinae editionis fieret, si idem penitus contigisset ». Cf. Thomam 1. 2. q. 71. a. 3. ad 1^m et Suppl. q. 78. a. 1.

8. Hoc posito advertimus primam et alteram lectionem idem, implicite quidem, dicere in priore parte ; *resurrectio* enim supponit *dormitionem*, et *dormitio*, cui succedat *immutatio* supponit *resurrectionem*. Duplex proinde est propria lectio et appellare possumus alteram *vulgatam*, alteram *graecam*. Ita porro ratiocinamur. Codicum maior pars favet graecae lectioni, ipsaque communis est patribus graecis, probata quoque Hieronymo : id autem iam eam facit valde probabilem. Verum praeterea, totus orationis contextus eam postulat; non enim cum altera bene cohaeret. Sane 1. quae sequuntur: *in momento in ictu oculi*, quae cum praecedentibus sunt coniungenda, non cohaerent cum lectione *omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur :* nam si cum secunda parte incisi iungas sequentia, quid est *non immutari in momento?* si cum priore parte, praeter durum hyperbaton, an verum est omnes homines *dormire momento?* Porro si primam adhibes lectionem, dices utique sequentia connecti cum *resurgemus:* sed durum hyperbaton intrudis : *omnes quidem resurgemus* (sed non omnes immutabimur) *in momento* ecc. At lectio graeca liquido fluit : *omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur in momento in ictu oculi.* 2. In toto hoc capite Paulus de resurrectione quidem agit, at exemplo ducto a resurrectione Christi, directe et data opera de resurrectione iustorum solummodo agit : cf. vv. 42-44.: de resurrectione reproborum mentio non fit. Cum hoc autem ordine idearum non cohaeret illud : *non omnes immutabimur*, sed oppositum *omnes immutabimur*, iusti scilicet, quibus se Apostolus connumerat, a corruptione in incorruptionem (v. 50.), a corpore animali in spirituale (v. 44.). 3. Tota autem sententia cum praecedentibus verbis cohaeret, quibus mysterium se dicturum annuntiat : hoc autem est aliquid novum, nondum in toto discursu huius capitis dictum : non ergo est resurrectio, de qua iam abunde est locutus : non immutatio, de qua rursus iam plura dixit (v. 42. seqq.), neque est resurrectio omnium mortuorum, quam professio fidei omnes iam docuerat et quam iam Apostolus in hoc capite tradiderat : sed hoc est mysterium, quod omnes quidem non morientur at omnes simul cum iis qui ex morte resurgent immutabuntur. « Iustos (ait Cornely in h. l.) ante adventum Domini mortuos gloriose esse resurrecturos, Apostolus in praecedentibus demonstraverat; restabat igitur ut de sorte illorum quos iudex adveniens esset inventurus, neophytos edoceret, atque in hunc finem revelat, illos non esse morituros, sed vivos transmutatum iri in statum gloriosum. Tam magnum est hoc mysterium, ut etiam hodie multi theologi illud cum universali mortis lege quo-

modo conciliari possit, negent se videre ». 3. Immutatio, de qua Apostolus loquitur, est ea quam significavit vv. 42.-44., quamque v. 49. eo revocavit ut corpus induamus incorruptibile, incorruptibilitatem gloriosam tantum considerans, de qua paulo ante disseruerat, *caro enim*, inquit v. 50., *et sanguis regnum Dei possidere non potest, sed oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* v. 53. Iam vero Apostolus ait: *mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur* (a), se cum aliis distinguens a mortuis. At si mortui resurgent *incorrupti* et alii immutabuntur, quomodo verum est quod *non omnes immutabuntur?* ut habet vulgata. Deinde optime sibi respondent in graeca lectione haec duo incisa, v. 51. *sed omnes immutabimur* et v. 52. *et nos immutabimur* atque respondere debent, cum sit idem subiectum.

Teneamus ergo lectionem graecam, qua docemur iustos postremos in fine mundi non esse morituros. Hanc esse Apostoli sententiam extra omnem dubitationem collocat testimonium sequens.

9. 1. Thess. IV. 12 seqq. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus* (dormientes κοιμώμενοι sunt Apostolo defuncti), *ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum* (διὰ τοῦ Ἰησοῦ Iesu favente, propitio), *adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus* (οἱ περιλειπόμενοι) *in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu et voce Archangeli descendet de coelo et mortui qui in Christo sunt resurgent primi* (gr. τρῶτον primum): *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur* (οἱ περιλειπόμενοι sicut supra), *simul rapienur cum illis in nubibus obviam Christo in aera et sic semper cum Domino erimus.*

Videntur boni fideles Thessalonicae quaestionem movisse: quid fiet de nobis, si moriamur ante adventum Domini, discrimen ne erit inter nos et eos quos Dominus adveniens vivos est reperturus? atque ex hac dubitatione tristitiam concipiebant. Paulus eos consolatur: adverte autem, ipsum non loqui nisi de iustis, qui *semper cum Domino erunt*, quemadmodum et in praeced. testimonio ad Corinthios. Quocirca interpretatio quod viventes sint iusti, electi, et mortui sint impii, reprobi, heic est absurda; nam mortuos non secus ac viventes ait Apostolus raptum iri in nubibus obviam Christo: omnes simul fore semper cum Christo, atque mortuos eos respicit, *qui sunt in Christo,* qui dor-

(a) *Τὸ ἡμεῖς,* ait Chrys. hom. 42. 2. in epis. Cor., *οὐ περὶ ἑαυτοῦ λέγει, ἀλλὰ περὶ τῶν ζώντων τῶν τότε εὑρισκομένων.*

mierunt *per Iesum*. Porro consolatio huc redit; mortui in Christo resurgent: illi qui vivent, qui reliqui erunt, cum Dominus venerit (Paulus ait *nos*, se in personam eorum transfigurans, sive eorum induens personam) non praevenient ad occurrendum Domino eos qui mortui sunt: sed mortui resurgent primum, deinde qui vivunt simul cum illis (utique *immutati*, ut dictum est ad Corint.) in aera rapti occurrent Christo et sic semper omnes cum Domino erunt.

10. Sane heic Apostolus inter eos qui obviam sunt Christo ituri, distinguit mortuos a viventibus: si omnes sunt morituri, nulla est distinctio: item si omnes morientur, quid significant verba: nos qui vivimus non praeveniemus mortuos? in hypothesi quod omnes moriantur et simul proinde resurgant, non est locus quaestioni: quis praeveniet? si vero ultimi homines non sint morituri, locus est huic quaestioni et sic ratio fuit, cur moneret Paulus, quod viventes non praeoccupabunt mortuos. Nam iusti mortui resurgent primi (etiam aliqui codices graeci habent πρῶτοι): porro istud *primum* vel *primi* refertur ad *deinde* quod sequitur; scilicet primum resurgent mortui (et resurgent immutati seu glorificati) deinde et viventes (pariter immutati) simul cum illis occurrent Christo. Perperam idcirco ex eo quod mortui resurgent *primi*, quis inferret, et viventes morituros, ut resurgant *secundi*; nam ex contextu liquet prioritatem hanc in eo esse, quod mortui resurgant ante quam viventes occurrant Domino, ut illud *primum* (a) referatur ad *deinde* atque ita simul omnes rapiantur in nubibus obviam Christo in aera. Tandem viventes sunt οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Ἰησοῦ scilicet superstites cum Iesus adveniet: haec duo immediate connectuntur: qua ergo se insinuabit mors?

Audi Augustinum, *de octo Dulcitii quaestionibus*, q. 3. 2. seu epist. 193. ad Mercatorem: « Revera, quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere, quosdam in fine seculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos, in illam immortalitatem, quae sanctis etiam ceteris datur, repente mutandos et simul cum illis rapiendos, sicut dicit, in nubibus, *nec aliquid aliud mihi visum est quoties de verbis istis volui cogitare* ».

Huc quoque referendum quod docet Apostolus 1. Cor. V. 1-10. Cf. Cornely in Epist. 1^m^ et 2^m^ ad Corinth. et A. Delattre *Le second Avènement de J. Ch. et la derniere génération humaine*. Louvain 1881.

(a) Lectio *primi* hunc posset fundere sensum, ut mortui in Christo resurgant ante reprobos: nihilominus resurrectioni iustorum coniungit immediate Apostolus raptum viventium in aera una cum illis.

11. Haec erat persuasio discipulorum Christi, cum hic respondens Petro de Ioanne sciscitanti dixit: *ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ;* Ioan. XXI. 22. seq. intulerunt scilicet Apostoli, Ioannem non esse moriturum. Errarunt utique erroremque corrigit Ioannes; sed error qui corrigitur in eo erat, quod propositionem conditionatam verterint in absolutam; at opinionem quam Apostoli praestituebant illi conclusioni, ultimos scilicet homines non esse morituros, Ioannes intactam reliquit et tacendo veluti consensit. Ex eius enim animadversione iure colligas, quod, si Christus non conditionate sed absolute locutus fuisset, recte discipuli essent ratiocinati.

12. Praeterea merito animadversum est, in sermone Christi eschatologico Matth. XXIV. 29. 30. Marc. XIII. 24-26. Luc. XXI. 25-27. nullo pacto significari, postremos homines esse morituros. Cf. Knabenbauer in l. c. Matthaei: qui quidem sermo Christi inferius erit declarandus.

Tandem formula fidei haec est, Christum venturum iudicare *vivos et mortuos*, haec formula in Symbolo fidei contenta plus vice simplici occurrit in N. T. Act. X. 42. 2. Tim. IV. 1. 1. Petr. IV. 5. Iam vero sensu litterali accepta formula significat Christum iudicaturum et eos quos adveniens vivos reperiet, et qui fuerant mortui proindeque resurrecturi: secus si omnes tandem morientur, vel dicendus tantum erat iudicaturus mortuos, ratione habita mortis universalis, vel tantum vivos ratione habita universalis resurrectionis. Atqui verba accipienda sunt sensu litterali; quia a Symbolo fidei, quod brevi et simplici sermone dogmata proponit, aliena est ratio loquendi metaphorice et quia haec est lex rectae interpretationis, nisi evidens ratio obstet, quae heic non adest.

13. Adverte Symbolum loqui simpliciter de viventibus, ut accipi possint tum boni tum mali, qui eo tempore exsistent, Paulum in locis citatis non loqui nisi de iustis tum victuris, id postulante scopo eius orationis, at sermonem eius non esse exclusivum; nihil sane dicit aut innuit, unde appareat, solos iustos non morituros. Et facta hypothesi quod nemo ex ultimis viventibus moriatur, si iusti viventes mutabuntur in statum gloriosum, poterunt reprobi in contrarium mutari, si tamen necessaria erit aliqua mutatio in deterius ante sententiam; de hac enim speciali mutatione corporum reproborum nihil nos docet revelatio. Attamen huic hypothesi quod postremi mali homines non moriantur, videtur obstare doctrina Petri, de qua mox.

14. Sane contra doctrinam hactenus assertam producitur alia, nempe statutum esse *omnibus* hominibus semel mori Hebr. IX. 27. mortem in omnes pertransire eo quod omnes peccaverunt. Rom. V. 12. ideoque

omnes in Adamo mori 1. Cor. XV. 22. Verum priore sententia ad Hebr. Apostolus illud enuntiat, homines esse *semel* morituros, hoc esse generale decretum (quod aliquam admittit nihilominus exceptionem), universalitatem vero mortis non perpendit, ut conferenti contextum patet, cf. §. 10. Loco vero ad Rom. profecto quaestio non definitur. Nam 1° significatur necessitas inducta a lege propter peccatum Gen. II. 17. III. 19.: necessitas autem moriendi est ipsa mortalitas, quae profecto communis est omnibus hominibus etiam postremis. 2° significatur iis sententiis factum universale, quia enuntiatur formulis universalibus: at nemo nescit, nihil impedire quominus cum huiusmodi universalitate exceptio aliqua componatur, si praesertim exceptio ex eodem hauriatur fonte e quo doctrina de universalitate, quemadmodum vidimus disputantes de Immaculato Conceptu B. V. Sane August. epist. ad Marc. cit. ait: « Si Deus, qui tam multis fidelibus suis donat ipsa peccata, voluit quibusdam donare etiam poenam peccati, qui nos sumus, qui respondeamus Deo: cur alius sic, alius autem sic? » Et pressius s. Thomas 1. 2. q. 81. a. 3° ad 3^{m}: « Etsi illi (qui nempe supersunt adveniente domino) non moriantur, est tamen in eis reatus mortis, sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest ». Nimirum, ut ait Caietanus in 1. Thess. IV. 16. « Statutum mortis est regulare, illos autem non mori singulare est » nempe exceptio aliqua a regula.

15. Est nihilominus expedienda alia difficultas ex 2. epist. Petri III. 7.-12. Loquens enim Apostolus de extremo die ait: *Caeli qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt igni, reservati in diem iudicii et perditionis impiorum hominum* (gr. τεθησαυρισμένοι εἰσὶν πυρί riservati al fuoco, τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως etc.) 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.* 11. *Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus,* 12. *exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem* (gr. τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας, δι' ἣν per quem diem) *caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent?* Hinc argumentum: Ante adventum iudicis terra omnis conflagrabit: conflagratio vero omnes absumet; ergo homines quoque qui residui sunt morientur.

Quoniam de hac conflagratione, de qua loquitur Petrus, sermo redibit inferius, satis sit modo advertere, docere Petrum, igni reservatam esse terram *in perditionem impiorum*, non omnium hominum, cui consonat doctrina Pauli 1. Cor. III. 12.-15. Docet enim et ipse diem Domini in igne revelatum iri, ac probaturum ignem quale sit unius-

cuiusque opus (loquitur de iis, qui doctorum munere fungentes aedificant super fundamentum a se positum eius magisterium complentes): porro qui veras sanasque doctrinas tradiderint, eos non dicit aliquid passuros ab igne, sed mercedem accepturos: illos autem qui vanas inutilesque doctrinas, non tamen falsas seu haereticas tradiderint, eos dicit detrimentum passuros, salvos quidem fore, sed tamen quasi per ignem, per medias scilicet flammas transeuntes, adustos non combustos: de iis autem qui falsa, haeretica docuerint, subverso fundamento a se posito, nihil Apostolus dicit, cum id ad scopum suae orationis non pertineret, at facile intelligitur, eos igne comburendos fore cum impiis de quibus loquitur Petrus. Ergo doctrina de conflagratione telluris ante diem iudicii non pugnat cum doctrina a Paulo proposita locis superius enarratis; iustos residuos in fine mundi non morituros.

Nihilominus si admissa hac conflagratione quae universam tellurem pervadat, aegre intelligitur aliquos homines non morituros, integrum tibi est, supponere miraculum.

16. Haec profecto doctrina, non omnes scilicet, iustos saltem, morituros, communis fere est, ut diximus, Patribus graecis, recepta quoque a nonnullis latinis (Tertull. de resurr. carnis, 41. 42. Hieron. ad Marc. ep. 59. 3. in Isaiam 51. 6.). S. Augustinus quidem propensus videtur in contrariam sententiam, forte quia Pelagiani abutebantur doctrina, non omnes homines esse morituros: nunquam tamen illam asseruit. Eius autem auctoritas effecit, quemadmodum et in aliis non paucis quaestionibus, ut secuti latini scriptores ac Scholastici in sententiam concederent tanquam probabiliorem (Thomas suppl. q. 88. a. 1.), omnes prorsus homines vel postremos esse morituros. Integrum est ergo Theologo affirmare id, quod accurata interpretatio verborum Pauli 1. Cor. 15. 51. 1. Thess. IV. 12. seqq. satis aperte eum docere significat. Itaque ad factum quod spectat, dubitare licet, ut minimum dicamus, an omnes prorsus homines sint morituri.

§. 8. — Mors est terminus stadii probationis, probatus autem est, ille, quem mors in iustitia occupaverit.

1. Quoniam aeterna salus merces est et praemium eamque nostris meritis, adiuvante Dei gratia, comparaturi nobis sumus, cursus huius vitae concessus est nobis, ut ad consecutionem finis nos disponamus, futuri beati, si bene egerimus, miseri, si male. Cursus ergo huius vitae mortalis stadium est probationis eoque solo probatio continetur, ut eo absoluto nullus sit locus comparandis meritis pro assecutione finis. Vitam hanc mortalem datam nobis esse in hunc finem ut legi

Dei obsequentes beatitudinem consequamur, omissionem eiusdem subituri et poenas inferni, si Deo rebelles fuerimus, veritas est fundamentalis in oeconomia humani generis, ut sciat unusquisque quid sibi et quorsum sit agendum, ne tempus inutiliter terat, ne in iis deceptus acquiescat, quae media sunt non finis. Nec pluribus opus est demonstrare, tempus huius vitae tempus esse probationis, quo operibus bonis eniti oportet ad consecutionem finis.

2. Sane non heic vivimus, ut in hac vita per consecutionem bonorum huius mundi beati simus; in hac enim hypothesi institutio christiana esset absurda, quae a tot bonis praecipit abstinere: *nam si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* 1. Cor. XV. 19. atque Christus nos decepisset, dicens: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* Matth. XVI. 26. ipsaque Christi incarnatio, passio, redemptio opus fuisset inutile, cuius nulla ratio habenda esset ab hominibus; non enim nobis temporalia bona promeruit, sed aeterna, quae in hac hypothesi nulla forent pro nobis.

Cum ergo ex altera parte ipsa quoque ratio doceat, in bonis quibuslibet huius vitae situm haud esse ultimum nostrum finem nempe supremum nostrum bonum, ex altera parte teneamur heic legis obligatione ut honeste agamus atque ita agentes assequamur debitum finem, evidens fit, vitam hanc esse palaestram, in qua exercere nos oportet, ut merita cumulemus, quibus digni efficiamur consecutione finis. Ex iis sane quae in corpore gessimus pendet sententia supremi iudicis, qua definiatur nostra sors in aeternum: *omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum* 2. Cor. V. 10.

3. Iam vero finis huius stadii probationis est mors, ut quandiu vivimus, in probatione versemur, morte vero absolvatur probatio. Sane Christus ait Ioan. IX. 4. *Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est* (h. e. *quandiu sum in mundo*): *venit nox, quando nemo potest operari:* propositio est generalis: nox est tempus mortis, seu a morte incipiens, tunc nemo operari h. e.: mereri potest.

Idcirco ut quis salvus sit, satis est si usque ad finem vitae perseveret; *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* Matth. X. 22. et *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae* Apoc. II. 10. Gal. VI. 9. 10. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Sic statim post mortem Lazarus allatus est in sinum Abrahae, dives vero in infernum, unde non amplius esset exiturus, Luc. XVI. 22. seqq.

Sane iudicium, ut videbimus, statim fiet post mortem Hebr. IX. 27.

antequam vero iudex veniat, operari necesse est et de omnibus operibus iudicium instituetur; ergo post mortem probatio desinit. Chrys. in Matth. hom. 36. n. 3. « Praesens haec vita, bene agendi tempus est: post mortem vero iudicium et poena ». Damascenus *de Fide* l. 2. c. 4. « Quod est Angelis casus, id est hominibus mors ».

Cum vero, damnata prop. 38. Lutheri, definitum sit, animas in Purgatorio esse extra statum merendi, restat ut per mortem hic status absolvatur.

4. Atque haec est sententia communis theologorum, in solo statu viae meritis esse locum, statum autem viae pro hominibus esse praesentem vitam absolvique morte.

Id quidem non docent ex ipsis rerum naturis postulari, sed quod congruens per se est, libera divina ordinatione esse statutum. Cf. Suarez *de Gratia* l. 12. c. 15. Quod vero heic praecipue notandum est, cum dicitur status viae absolvi praesenti vita, id intelligitur respectu termini essentialis, beatitudinis nempe vel eius amissionis, et praecisio fit a quaestione, utrum beati aliquod accidentale praemium ac damnati aliquam accidentalem poenam rursus mereri valeant; qua de re suo loco disputandum erit. Iam vero theologorum communis sententia iis testimoniis probatur, quae modo attulimus. Et re quidem vera non esset ratio, cur Christus nos hortaretur vigilare eo quod nescimus qua hora ipse sit venturus Matth. XXIV. 42.-44. Luc. XII. 39. 40. si post hanc vitam tempus rursus suppeteret ad promerendam consecutionem finis. Atque hic est sensus omnium fidelium, quem Hieronymus expressit exponens verba Eccle. IX. 5. *Mortui nihil noverunt amplius etc.* « Donec vivunt homines, posse fieri iustos: post mortem vero nullam boni operis dari occasionem. Viventes possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adiicere quod semel secum tulerunt de vita ». Contra haec invexit Origenes omnium rerum *ἀποκατάστασιν;* sed hunc errorem inferius confutabimus.

Consequitur, puto, ex dictis nec merito congruo locum esse post mortem; quo remote ad beatitudinem via aperiatur; nam et illud meritum quoddam est, proprium viatoris. Cf. Suarez *de Poenit.* d. 47. sect. 2. n. 3.

5. Etsi oporteret integrum vitae cursum sancte transigere; quia tamen id difficile est et divina bonitas locum dedit poenitentiae et remissioni peccatorum, hinc contingit plures prius multis se inquinare peccatis, deinde usque ad mortem iuste vivere, alios e contrario; fieri· que praeterea potest, ut qui semper nequam fuit poenitentiam agat ut oportet in articulo mortis, et vicissim qui semper sancte vixit, tandem peccet et antequam ei tempus suppetat poenitendi, moriatur. Illum

autem salvum fore docet fides, hunc damnari. Iam vero est qui de hoc discrimine querelas moveat, iustitiam Dei desiderans.

Nam uterque ex his opera bona gessit, atque plura ille, qui tantum in fine peccavit: cum vero opera sint aeque bona sive antea sive postea fiant et Deus praemium rependat operibus bonis, cur ipse rationem potius habet bonorum operum, quae in fine fiant, etiam unius actus contritionis, quam bonorum operum praecedentium, si succedente postea peccato, in eo quis moriatur? Nonne Deo, qui nihil acquirit nihilque patitur, perinde sunt opera quolibet tempore facta?

6. Respondeo: omnia ex iudicio pendere instituendo post mortem: ratio ergo, cur praeferantur opera bona posteriora prioribus, ea est, quia anima, quae Deo iudici sistitur destituta gratia sanctificante, aversa a Deo nec amplius, eo quod stadium probationis ideoque merendi desiit, reditura in gratiam, indigna est consortio beatitudinis cum Deo et digna poena. Intrinseca enim sanctitas postulatur, quae per habitualem gratiam obtinetur: hac autem gratia privatus est qui in peccato decedit, eam vero possidet qui reconciliatus Deo exit e vita. Hinc exsistens in statu inimicitiae ius non habet, ut opera bona prius facta eidem imputentur ad praemium; dum e contrario peccatori, qui in fine convertitur, peccata prius admissa, eo quod remissa sint, amplius imputari non possunt, et reliquus est status gratiae et amicitiae, in quo a Deo iudice reperitur, cui statui gloria debetur. Iustinus in Dialogo n. 47., ubi hoc idem probat, affirmat, a Iesu Christo dictum esse: « In quibus vos deprehendero, in iis et iudicabo » quae verba quidam censent ex Evangelio secundum Hebraeos desumpta esse; forte ex traditione accepit. Sententia tamen iam in Evangelio occurrit; cum enim Christus ait: Luc. XII. 40. *Estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet*, significat se homines iudicaturum secundum ea quae in ipsis deprehendet cum venerit. Commendatur ergo misericordia Dei in eo qui salvatur, iustitia autem in eo, qui perit.

Coroll. Cum semper oporteat nos esse paratos, oportet quoque in illud nos incumbere, quod instante morte optabimus, nisi fides defecerit, fecisse in vita: secus stultissime agemus. Cf. Luc. XII. 16.-21.

Obiici contra doctrinam traditam potest locus 1. Petr. III. 19.-20. coll. IV. 6.: verum expendemus eum infra, ubi de Purgatorio.

§. 9. — Quapropter nemini licet mortem sibi consciscere.

1. Aliud est ex intentione honesti finis quem caritas vel iustitia proponat, mortem propriam permittere, aliud est mortem tanquam finem intendere et idcirco aliquid agere vel omittere ob hoc ipsum ut

mors sequatur. Istud est, se directe occidere, quod negamus homini licere.

Sane id ex dictis consequitur. Per mortem enim absolvitur stadium probationis; at quemadmodum stadium istud praestituit Deus, ita ad Deum spectat definire quandiu durare debeat; eius enim est, qui praemium est collaturus, conditiones statuere eiusdem consequendi. Hoc est quod ait s. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5. ad 1^m « Transitus de hac vita ad aliam feliciorem non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinae ».

2. Praeterea homo se ipsum directe occidens agit tanquam dominus qui de re pro arbitrio disponit: atqui homo non est dominus sui ipsius; id enim contradictionem implicat, repugnat sane subiectum dominii esse eiusdem dominii obiectum: sic enim esset et non esset dominus. Sed dominus est qui dedit esse: ergo non est in libera potestate hominis seipsum destruere, quod fit per mortem, per quam desinit esse homo. Cf. Thom. a. c. Habet quidem homo usum vitae suae atque utile dominium, eiusque administrator est atque custos, sed haec peragi omnia debent, salva rei substantia, ut dicitur. Hinc licet profecto homini et identidem iubetur membra non necessaria, quorum conservatio nocitura sit servandae vitae, sibi abscindere: sed hoc ideo rectum est, quia membra singula sunt in bonum totius et ipsum totum, quod est homo, servandum est; sic enim agit bonus administrator et custos.

Sane praeceptum *non occides* de homine intelligendum est: si non alterum, nec te ipsum licet occidere; « neque enim aliud quam hominem occidit, qui se ipsum occidit » ait August. *De Civit. Dei* 1. 20. Hinc et Sap. XVI. 13. dicitur: *Tu es Domine, qui vitae et mortis habes potestatem et deducis ad portas mortis et reducis. Homo occidit quidem per malitiam.*

3. Alia quae forte heic disputari possent, dedimus in *Oper. Theol. Mor.* Vol. 2. n. 855. seqq. Quid ergo est, quod 2° Machab. XIV. 37. seqq. commendatur Razias, qui se ipsum atrociter interemit? Fatendum est, in huius facinoris narratione nihil occurrere, ex quo divinare liceat, Raziam speciali instinctu Dei eum agitante id esse exsecutum, neque ipsum se tradidisse morti ob publicam causam, pro salute populi, sed ob causam privatam, ut dedecori et servituti se subtraheret. Sed fatendum quoque, nihil scriptorem libri dicere quo id facinoris probet: notatur animi magnitudo (εὐγενῶς), generositas (γενναίως), virilitas (ἀνδρωδῶς): at de morali honestate operis nullum fertur iudicium. Forte Raziae ex improviso impetito tempus defuit quo rem apud se perpenderet et primis animi generosi motibus obsecutus in se gladium vertit, deinde amissa per emissionem sanguinis plena conscientia

suarum actionum cetera aestuans peregit. Cum vero memoria huius facti eo conduceret, ut doceret Iudaeos, quam tenaces suae legis fuerint eorum Maiores idque responderet fini, in quem liber scribebatur, hinc ratio fuit scriptori cur id non praeteriret (Kirch. lex. sub h. v.). In Samsone autem, cui tanquam iudici defensio populi commissa erat, qui Iud. XVI. 26. seqq. populi sui salutem et idcirco cladem hostium directe intendens, morti se obiecit, nihil puto reprehendendum; ac speciale auxilium hac in re ei oranti praestitum a Deo id, puto, satis evincit. Augustinus tamen censet, non aliter ipsum excusari, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, *de Civ. Dei* l. 1. c. 21.

§. 10. — Generalis lex est, mortem esse semel subeundam.

1. Constat id primum experientia, tum ratione; nam naturaliter non est possibilis regressus a morte ad vitam, ut iterum moriatur homo: ut enim dici solet, a privatione ad habitum non datur regressus. Sane unio animae cum corpore naturaliter fit mediante generatione: cum autem anima separata sit eo quod corpus non amplius idoneum erat operibus vitae, deest ratio cur ad illud revertatur; corpus item corruptum eam amplius non exigit.

Id porro est quod dicitur Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium:* ubi illud *semel* a scriptore positum est data opera: nam in exemplum id assumit oblationis Christi, qui *semel* oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

2. Quocirca cum per miraculum quidam resurgunt, exceptio quaedam est, quae semper est in potestate Dei auctoris et Domini naturae. Verum etiam tunc lex generalissima manet, mortem, quae terminus est probationis, semel contingere. Probatio enim absolvitur, sequente iudicio, quod non habet locum, cum anima est ad corpus reditura; quod Deus iam praenoscit se facturum. Revocans porro Deus animam, corpus quoque instaurat ut sit idoneum operibus vitae.

Quid ergo fit illis animabus peregrinis a corpore donec iterum uniantur? Nostrum non est de hac re respondere quaerenti, quam Deus sibi reservavit: nec forte animae, quae redierint, id valerent manifestare, etsi interea conscientiam sui habuerunt, eo quod diversus sit cognoscendi modus in utroque statu. Si enim nos frequenter eorum, quae in somniis agitavimus, nihil expergefacti recordamur, multo id facilius eveniet in anima a statu separationis ad unionem revertente. Sed non repugnat, in hac extraordinaria conditione animarum Deum illis consulere extraordinario modo, ut negata scilicet eis determinatione ad intelligendum (§ 2.), maneant veluti consopitae.

§. 11. — Excepta revelatione, homini vitam agenti incertum semper est instans mortis; idque est conveniens.

1. Hoc sane est cum rei natura consertum. Pendet enim mors ex pluribus causis, quae nos latent, sive intrinsecis, sitis in affectionibus vel defectibus internorum organorum, sive extrinsecis, quae vel casu vel mala voluntate alterius vel vitiatis elementis in quibus versamur et huiusmodi, agere in nos possunt atque repentinam quoque mortem inferre. Incertitudo non semper eadem est, subeunte identidem maiori vel minori probabilitate mortis: utique gravi et insanabili morbo decumbentibus certum est mox adfuturam mortem, nisi tamen Deus, dominus vitae et mortis, aliter disponere velit; at seposita quoque hac hypothesi, ipsum instans mortis incertum est; cum non penitus sciatur, quanta et qualis sit vis causae inferentis mortem. Diximus, quod per se manifestum est, excepta divina revelatione, quam non paucis sanctis viris factam esse, historice tenemus.

2. Haec incertitudo congruit cum ordine morali. Cum enim vita praesens sit stadium probationis, in quo Deo servire oportet, ut, absoluto stadio, finem, in quem conditi sumus, consequamur, et quidem Deo servire oportet in quolibet instanti vitae, Dei enim sumus perpetuo servi, ne desides essent in divino servitio qui finem consequi desiderant, omnes autem desiderare debent, decuit homines nescire terminum probationis incertosque semper vivere, ut se iugiter sisterent paratos in occursum iudicis, abhorrentes ab iis caducis rebus, quae speciem tantum habent boni, quaeque periculum creant amittendae salutis, et sic, ut oportet, fideles in divino servitio perseverarent.

3. Affertur in hanc rem sententia Christi, Matth. XXIV. 42. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Marc. XIII. 33. *Videte, vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit...* 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Luc. XII. 40. *Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Circa quae verba Christi haec iuvat animadvertere: *a)* ex ignorantia diei adventus Domini colligit Christus, oportere homines vigilare, paratos semper esse; nam summa res agitur, aeterna salus, amittenda profecto, si Dominus veniens imparatos inveniat.

b) Verba Christi apud Matthaeum et Marcum nectuntur cum praenuntiato supremi iudicii die, ad quem omnes oportet esse rite paratos. Iam vero non omnes victuri sunt in illum diem, Christus autem testatur, se hoc quod Apostolis dixit, qui morituri certe erant

multo ante illum diem, omnibus dicere, omnes ergo in illum diem paratos esse oportet. Porro praeparatio, quae in illum diem requiritur, ea est quam quilibet homo praestare potest in vitae suae mortalis cursu ; nam et ultimi homines ita se praeparabunt : ergo sententia Christi huc redit, vigilet quisque quia nescit diem mortis suae, quo confectum erit quid de ipso in illo supremo die iudicandum sit. Perinde scilicet ipsis est ac si statim absoluto cursu mortalitatis producendi essent ad illud supremum iudicium. Diem sane mortis excipit particulare iudicium singulorum, quo praeoccupatur publica et sollemnis sententia proferenda supremo die. « Illud sibi vult Christus, ait Chrys. in Matth. in h. l., si scirent homines plerique quandonam sint morituri, diligentiam suam circa illam horam exhiberent. Propterea dicit : qua hora non exspectatis veniet, ut sollicitos reddat et virtutis colendae studiosos ».

c) Verba autem Domini apud Lucam nullum nexum habent cum die supremi iudicii, de quo nullus ibidem est sermo : sed e contrario dicitur Dominus venturus vel in secunda vel in tertia vigilia (supple : vel in prima vel in quarta) pro singulis scilicet non eadem est hora, non idem spatium probationis; et beatos fore quos tunc Dominus veniens invenerit vigilantes. 37. 38. Quapropter heic Christus, inquiens: *estote parati*, loquitur de praeparatione qua excipiamus venturum iudicem statim post mortem. Incertitudo ergo quonam instanti Dominus sit ad singulos venturus, sive incertitudo mortis ratio est, cur semper vigilemus et parati inveniamur.

Dices loqui heic Christum non de omnibus hominibus, sed de suis servis qui aliis sint praepositi. Respondeo, expresse quidem de his loqui Christum, implicite tamen ad omnes verba dirigere Christum persuadet primum identitas rationis; nam quilibet homo officium quoddam habet, cui incumbere debet et cuius rationem ab eo exiget Dominus: deinde idem Christus interrogatus a Petro an ad Apostolos diceret parabolam illam (37.-39.) an ad omnes, non negavit se dicere ad omnes, imo in fine de quolibet servo loquitur sive qui cognovit voluntatem Domini et non fecit, sive qui non cognovit et fecit digna plagis : omnes autem plus minus vapulabunt (47. 48.).

4. Omnibus igitur dicitur: *estote parati*, atque huc redit exhortatio Petri 2. Petr. I. 10. *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; sic enim facientes non peccabitis aliquando:* interest autem nunquam peccare; quia semper necesse est esse paratos. Ita Iac. IV. 13. seqq. *Ecce nunc qui dicitis : hodie aut crastino ibimus in illam civitatem et faciemus quidem ibi annum et mercabimur et lucrum faciemus, qui ignoratis quid*

erit in crastino. Quae est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Hinc Dominus dicitur venturus *sicut fur in nocte* I. Thess. v. 2. Apoc. III. 3. XVI. 15. cf. Luc. XII. 39.

Verum perpende id proprie dici iis, qui male vivunt: sic enim Apostolus cum loco citato ex 1. Thess. dixisset: *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini, sicuti fur in nocte, veniet: cum enim dixerint: pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient* (sermo est de ultimo die), subdit: *vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat* (v. 2. 4.).

§. 12. — Nulla iniuria fit peccatori si damnetur, qui, inchoata poenitentia, morte praeoccupatur, antequam plene reconcilietur Deo.

1. Id profecto contingere potest ut ex. gr. pertaesus quis malae suae vitae velit ad Deum redire concepto timore poenarum sincerumque actum eliciat attritionis, sed antequam vel absolutionem consequatur vel ab attritione ad veram progrediatur contritionem, improvisa morte corripitur. Hic decedit non plene reconciliatus Deo, nondum scilicet assecutus gratiam sanctificantem, qua adoptivus filius Dei constituatur atque ius obtineat aeternae beatitudinis. Amissa autem beatitudine, quid restat nisi ut damnetur? Aiunt, ipsi non esse imputandum quod conversionem non perfecerit, impeditus causa, quae non erat in sua potestate; immerito proinde damnatur.

2. Verum non ideo damnatur, quia conversionem non perfecit, sed quia peccavit: posito autem peccato poenam is meretur, quam non effugiet, nisi per misericordiam Dei in eius gratiam redeat. Ius vero non habet peccator, ut Deus eum praestoletur mortemque naturaliter obventuram, gratuito differat, ut integrum sit peccatori converti. Perinde est illi ac si illico post peccatum morte fuisset abreptus: qua in hypothesi quae causa ei foret conquerendi apud Deum? Id unum exinde colligitur, oportere semper esse paratos, quod iure exigit Deus, cuius perpetui servi naturaliter sumus.

Mitius tamen Deus cum huiusmodi hominibus est acturus, qui, etsi imperfecte nec quantum satis esset, ad eum tamen se converterant, et ab amore creaturarum se abstraxerant.

3. Forte quis dicet, puniendos esse huiusmodi homines sola poena damni, eo quod careant gratia adoptionis, non poena sensus, quae, ut dici solet, debetur conversioni peccantis ad creaturas; nam haec conversio per actum attritionis satis deletur, secus ea non foret sufficiens dispositio in Sacr. Poenitentiae.

Verum dubito sane, an recta sit ea divisio, ut poena damni debeatur aversioni a Deo, poena sensus conversioni ad creaturas; nisi id intelligas cum addito h. e. *principaliter*, ut poena damni principaliter infligatur ob aversionem a Deo, poena sensus principaliter ob conversionem ad creaturas. Sic sane accipi potest quod Doctores dicere solent cum s. Thoma suppl. q. 97. a. 5. « Poena damni respondet aversioni, quae fuit in culpa, poena sensus respondet conversioni ». Aliud vero est respondere, quod propter quandam praestantiorem habitudinem dici potest, aliud *illi soli deberi*. Satius proinde forte quis dicet, poenam sensus deberi ob actum personalem quo placuit recedere a Deo et sistere in creaturis. Poena sensibilis, ait s. Thomas 2. Dist. 33. q. 2. a. 1., pertinet ad id quod personae proprium est... unde sicut culpa (originalis) non fuit per operationem eius (qui est ex Adamo), ita nec poena per passionem ipsius esse debet ». Qui ergo operator est culpae, huic et poena per passionem ipsius debetur: haec autem dicitur poena sensus. Quandiu ergo culpa manet, aliqua passio deberi dicenda est. Cum ergo, sola exsistente attritione reatus culpae maneat atque culpae personalis, locus adhuc est poenae sensus sicut et damni.

4. Nonne attritus est conversus ad Deum? quomodo ergo in altera vita cum odio habebit? at damnati in inferno Deum odio habent.

Res difficilis postulatur: sed adverto, damnatos non eo ipso quod damnati sint, Deum odio habere; patet in damnatis sola poena damni: deinde quid vetat, huiusmodi attritum in altera vita non diligere quidem Deum, sed nec odisse? quaenam enim necessitas odii erga punientem ut poena locum habeat? tandem scimus nos plusquam peregrinos esse in iis quae ad alteram vitam spectant: at certum est non nisi indutos habitu caritatis ad nuptias Agni admittendos.

§. 13. — Etsi mors sit poena, Deusque dicatur eam non fecisse, attamen ex appellationibus, quibus ipsa in Scripturis honestatur, liquet eandem fidelibus non adeo esse metuendam.

1. Mortem esse poenam peccati iam alibi demonstratum est. Atque haec est ratio, cur dicatur eam Deus non fecisse; Sap. 1. 13. ubi sermo est non de morte quorumcumque viventium, sed de morte hominum: *ὁ θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησε;* quia nempe eam voluntate antecedente non voluit, sed tantum voluntate consequente notitiam peccati, ut idcirco ratio cur mors destinata fuerit, sit peccatum; *per peccatum* enim *mors* Rom. V. 12. quod peccatum diabolus suggessit, ideoque is merito dicitur mortem induxisse: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*

Sap. II. 24. Sane idem auctor Sapientiae negat, Deum *laetari in perditione vivorum* l. prius c. rationemque hanc reddit, cur dixerit, Deum mortem non fecisse v. 14. *creavit enim, ut essent omnia.* Scilicet Dei illa voluntas, cuius ratio est tantum divina bonitas, voluit, hominem fore immortalem: exsistente autem peccato, voluit utique Deus mortem in poenam, sed ratio cur id voluerit, ab homine primum profecta est.

Cum huiusmodi poena sit dissolutio hominis Philip. 1. 23. reditus in pulverem Gen. III. 19. amissio omnium bonorum huius vitae Luc. XII. 20. certe malum quoddam est a quo naturaliter abhorremus, at fas non est adeo nos contristari sicut ceteri qui spem non habent 1. Thes. IV. 12. Et re quidem vera sub iis imaginibus Scriptura mortem repraesentat fidelibus, ut eius horrorem plurimum minuat fiatque in Christo viventibus exoptabilis.

2. Sane ea aequiparatur somno: Apostolus enim frequenter eos qui moriuntur vocat *κοιμηθέντας dormientes* 1. Cor. VII. 9. XI. 30. XV. 6. 18. 20. XV. 51. gr. 1. Thess. IV. 12. 13. 14. Ita Petrus 2. Petr. III. 4. Imo haec est ratio loquendi Scripturarum: cf. 3. Reg. II. 10. XI. 43. XVI. 28. 4. Reg. VIII. 24. XV. 7. XXIV. 5. 2. Par. IX. 31. XXI. 1. XXXII. 33. alibique pluries in his libris: Iob. III. 13. Dan. XII. 2. Cur vero mortui dormire dicuntur? quia scilicet sunt resurrecturi: productus utique plus minus sopor videtur, sed si id cum futura aeternitate comparatur instar puncti computabitur, et erunt mille anni sicut unus dies 2. Petr. III. 8. Resurrectionem futuram causam esse cur mors somnus dicatur, significavit ipse Christus, cum quos evocaturus erat ad vitam dormire dixit. Matth. IX. 24. Ioan. XI. 11.

Iam vero si mors est somnus, horror eius magna ex parte desinit: horremus enim mortem, quia est dissolutio nostrae naturae, at haec natura post modicum instaurabitur et quidem in melius idque in aeternum.

3. Praeterea mors dicitur *exodus* 2. Petr. I. 15. *via* Ios. XXIII. 14. 3. Reg. II. 2. *iter a nobis ἀφ' ἡμῶν πορεία* Sap. III. 3. nempe pergimus per eam ad patriam Hebr. XI. 14. ad Ierusalem caelestem Hebr. XII. 23. ubi cum Christo simus Philipp. I. 23. Luc. XXIII. 43. est transitus ad vitam; sic enim aeterna beatitudo vocatur Matth. VII. 14. Apoc. II. 10. Symb. Apost.; ita ut, secus ac homines naturaliter censent, vera vita non praevertat mortem, sed sequatur: atqui quantumvis aspera sit via, neminem eius taedere potest, quae ad optatissimum terminum ducit: ergo.

Sane quandiu in corpore sumus (*ἐνδημοῦντες* habitantes tanquam domi) peregrinamur (*ἐκδημοῦμεν* exsules sumus a patria) a Domino: idcirco audemus *θαῤῥοῦμεν* (confidimus et bonam voluntatem habe-

mus *εὐδοκοῦμεν* (in hoc nobis complacemus) peregrinari a corpore (*ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος*) et praesentes esse ad Dominum (*καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον* et habitare tanquam domi, in patria apud Dominum) 2. Cor. V. 6. 8. Nota oppositionem inter *ἐνδημεῖν* et *ἐκδημεῖν*. Videlicet extra patriam extra propriam domum sumus *ἐκδημοῦμεν*, quandiu heic vivimus: patria nostra est apud Dominum *πρὸς τὸν Κύριον*. ibi continget nos *ἐνδημεῖν*. Atqui eo pervenimus exsulantes a corpore; idque, teste Paulo, omnis fidelis desiderat et confidit se assecuturum.

Rursus mors est *quies a laboribus* Apoc. XIV. 13. est *ingressus in requiem* Hebr. IV. 11. quis autem quiescere non desiderat postquam laboraverit? Utique nunc laborare oportet nec quaerenda quies ante tempus statutum.

4. Itaque patet mortem fidelibus non adeo esse metuendam sed potius libenter acceptandam. *Fidelibus* inquam, scilicet hominibus qui sint quales esse debent; si autem aliter se habeant, causa timoris in ipsis est, qui adhaerent bonis amissibilibus: at hunc ipsum timorem vertere possunt in lucrum, si propterea se expediant ab amore creaturarum. Fidelibus scilicet mors non est mors, sed migratio, ac domicilii mutatio a deterioribus ad meliora, a terra ad caelum, ab hominibus ad Angelos et Archangelos atque adeo ad ipsum Archangelorum dominum ».

Audiamus Cyprianum *De Mortalitate* « Mori plane timeat, sed qui ex aqua et Spiritu S. non renatus Gehennae ignibus mancipatur. Mori timeat qui non Christi cruce et passione censetur. Mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit.... Ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium iniusti rapiuntur ».

§. 14. — Corpus ab anima depositum non licet christianis igne comburere, sed terrae committendum seu sepeliendum est.

1. Iuxta christianum sensum corpus est *tabernaculum*, *tentorium* animae, in quo ipsa degit: velox *ταχινή* est, ait Petrus, depositio *τοῦ σκηνώματός μου* 2. Petr. I. 14.: pariter Paulus 2. Cor. V. 1.-4. vocat corpus *tentorium σκῆνος* ac *terrestrem domum idest tentorium* (habitationem) *ἐπίγειον οἰκίαν τοῦ σκήνους* cf. Cornely in h. l.; quae appellatio quidem Pythagoricis quoque in more fuit. Huic terrestri domui huic tentorio opponitur a Paulo *aedificatio ex Deo*, *domus non manufacta*, *aeterna in caelis οἰκοδομὴ ἐκ Θεοῦ, οἰκία ἀχειροποίητος, αἰώνιος ἐν τοῖς οὐρανοῖς:* corpori scilicet mortali corpus gloriosum. Tentorium est itaque corpus, in quo *ἐνδημοῦντες* peregrinamur *ἐκδημοῦμεν* exula-

mus a Domino: dum heic vivimus, in exsilio versamur et tentorium exulis animae est corpus mortale ex terra, aerumnis et calamitatibus innumeris obnoxium. Hoc tentorium brevi relinquendum est, resumendum utique postea, sed alio modo se habens, ut sit (iustis profecto) *aedificatio* quaedam *ex Deo, non manufacta, aeterna.* Quae cura interea adhibenda huic tentorio, dum anima ab eo excessit? Cum unus non sit modus, quo cadavera tractare homines consueverunt, dicimus, christianorum corpora esse sepelienda.

2. Sane hic est mos ab Ecclesia receptus. Ab ipsis initiis tum cum penes gentes mos etiam comburendi cadavera vigeret, Ecclesia, hoc seposito, sepeliendi morem adoptavit eumque quovis tempore absque intermissione frequentavit. Hoc pacto permittens naturae viribus dissolutionem corporis quin violenter illam maturare praesumat, arbitratur Ecclesia, multo melius exhiberi reverentiam corporibus christianorum, quae tot sacris ritibus et sacramentis consecrata fuerunt, quaeque fuerunt *templa Spiritus S.* 1. Cor. VI. 19. *membra Christi* ibid. v. 15. quae nefas est ab hominibus violari 1. Cor. III. 17. Abhorruit scilicet Ecclesia ab omni humana operatione quae dissolutionem cadaverum sollicitaret. Ita Bonifacius VIII. (Extrav. comm. l. 3. tit. 6. *de Sepulturis*) decernit abolendum « detestandae feritatis abusum, quo quidam fideles corpora defunctorum, quae in remotis partibus sepelienda erant, ut eo citius et commodius transferrentur, ex quodam impiae pietatis affectu truculenter exenterabant et illa membratim vel in frustra immaniter concidentes, ea subsequenter aquis immersa exponebant ignibus decoquenda et tandem ab ossibus tegumento carnis excusso, eadem ad partes praedictas mittebant seu deferebant tumulanda ». Iubet autem integra cadavera vel eo deferri ubi sepelienda sunt, vel sepeliri in loco ubi decesserint, permittens quidem, ut incinerata tandem corpora eo deferantur, ubi sepelienda forent.

3. Cum vero constanter in Ecclesia mos sepeliendi perseveraret, opus non fuit ut aliqua lege expressa sanciretur : at cum nostris temporibus Ecclesiae hostes in eius contemptum combustionem cadaverum invexissent, ipsa sententiam suam aperte significavit per s. U. Inquis. sic enim interrogata respondit 19. maii 1886.

1. *An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?*

2. *An licitum sit mandare, ut sua aliorumque cadavera comburantur?*

Ad 1^m *negative et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra hanc latas.*

Ad 2^m negative.

Factaque de his ss. D. Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

Haec est ergo s. Sedis et Ecclesiae voluntas, cui omnes fideles parere necesse est.

Quia vero nulla est lex absque exceptione, fieri potest, ut identidem liceat combustio cadaverum propter commune bonum, puta tempore pestis.

4. An est lex quam ipsa natura postulat?

Id profecto dicere non ausim; nullam sane invenio intrinsecam rationem, quae persuadeat, naturae legi repugnare combustionem cadaverum. Scimus praeterea apud non paucos populos ex radice indo-germanica iam ab antiquis temporibus morem invaluisse cremandi cadavera. Morem hunc penes Indos reperiri omnes sciunt, illum reperimus penes Graecos (cf. Iliad. XXIII. 1. seqq.) penes Romanos (leg. 12. tab. *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito neve urito*), penes Celtas seu Gallos (Caes. *Bell. Gall.* VI. 19.) penes Russos et Lituanos (cf. kirchenlexicon v. Leichenverbrennung), penes Germanos (Tacit. Germ. 27. cf. et s. Bonifacii epist. 62. de Winedis). Verum neque apud easdem gentes constat morem fuisse universalem, atque de quibusdam id certe negandum est: negat de Celtis Diodorus Bibl. hist. V. 18., Graecos antiquitus etiam sepeliisse ostendunt sepulcra nostra aetate effossa Mycaenis, Romanos probat ipsa lex citata et Plinii (*Hist. nat.* VII. 54.) testificatio: *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terrae condebantur.*

E contrario novimus Aegyptios, Assyrios, Caldaeos, Sinenses et speciatim Israelitas, populum Dei, sepultura esse usos. Quocirca si auctoritate plurium gentium quaestio esset definienda, in sepulturam potius esset concedendum; cum praesertim populus Hebraeus, cuius institutionem Deus ipse suscepit, morem sepeliendi semper usurpaverit. Quaedam enim exceptiones facile explicantur. Sane 1. Reg. XXXI. 12. forte Saulis cadaver iam nimia invaserat putrefactio, ut consueto modo sepeliri amplius nequiret, vel timebant Galaaditae, ne ab improbis hominibus illius reliquiae ludibrio haberentur. Tempore autem pestis, de qua Amos VI. 10., consulere licuit saluti publicae combustione cadaverum. Quod porro refertur Ier. XXXIV. 5. et 2. Paral. XVI. 14. non de crematione cadaveris sed aromatum in funere est accipiendum.

5. Ratio vero, quae permovit Ecclesiam, ut sepulturam praeferret, videtur esse reverentia debita corporibus christianorum « quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus » (Aug. *de Civ. Dei* l. 1. c. 13.), quam reverentiam violare censetur, qui eadem contrectans vim iisdem adhibet, ut dissolutio acceleretur. « Veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus » ait Minucius Felix in Octav. 34. Tum locum sepulturae Ecclesia sacro ritu sanctificat; qui mos antiquissimus est, ut aperte profitetur Pseudodionysius *Eccl. Hier.* c. 7. Nec timendum est, ne inficiatur aer et morbi generentur; nam nihil magis idoneum ad *μιάσματα* averruncanda quam terra occludens cadaver. E contrario humores qui exustis cadaveribus aerem vaporant, si frequentes sint, nequeunt illum non vitiare et corrumpere.

IUDICIUM PARTICULARE.

§. 15. — Iudicium particulare certe est futurum.

1. Cum iudicium nominamus plura concipere solemus, tum personas, iudicem, reum, accusatorem, testes, tum processum quendam inquisitionis accuratae, ut notitia causae habeatur, ac tandem sententiam iudicis. Cum iudex est Deus, manifestum est, opus haud esse accusatore et testibus: Deus enim *scrutator cordium καρδιογνώστης*, Act. Apost. I. 24. *discretor cogitationum et intentionum cordis* Hebr. IV. 12. his non eget, omnia percipiens scientia sua infinita. Nec processus ulla necessitas propter eandam rationem, *omnia enim* semper *nuda et aperta sunt oculis Dei* ibid. 13., ad hominem autem reum quod spectat, *testimonium reddet illi conscientia ipsius, inter se cogitationibus accusantibus atque etiam defendentibus in die qua iudicabit Deus occulta hominum* Rom. II. 15. 16. cum ipse iudex *illuminaturus sit abscondita tenebrarum et manifestaturus consilia cordium* 1. Cor. IV. 5. Res ergo in hoc iudicio eo redit, ut iudex omnisciens sententiam ferat, eaque nota fiat ipsi reo: h. e. decernatur praemium vel poena: quod quidem in instanti fit. Huc autem non spectant verba Apoc. XII. 10. ubi Satanas dicitur *accusator fratrum* sanctorum, *qui eos accusabat vel accusat ὁ κατηγορῶν ante conspectum Dei die ac nocte*, quaecumque enim sit accusatio, agitur ibi de perversa et continuata actione Satanae, viventibus iis contra quos agit, qui, ea accusatione non obstante, vicerunt eum per sanguinem Agni, ut dicitur in seqq.

Quaestio ergo, an statim post mortem futurum sit iudicium par-

ticulare cuiusque animae e corpore egredientis, huc redit, an statim a morte decernatur animae status pro meritis sive beatitudinis sive damnationis.

2. Fatendum est, nullum in N. T., etsi frequenter de iudicio Dei sit sermo, exstare testimonium, quo disserte et explicite certum sit mentionem fieri particularis iudicii statim a morte cuiuscumque hominis (cf. sis Leonhard Atzberger, *Die christiche Escatologie.* Freib. im Breisgau. 1890. p. 204. seqq.): nihilominus cum certum sit, statim a morte, quin futura resurrectio exspectetur, animas tum impiorum poenis inferni addici tum iustorum praemium sortiri sive aliqua prius peracta purgatione, qua egeant, sive nulla, evidens est, iudicium aliquod statim institui, quo Deus alterutrum decernat; sententia enim Dei praevertat, oportet, per quam quod animarum merita postulant, ipsis reapse conferatur.

3. Iam vero statim a morte definiri conditionem animarum, ut sint vel beatae vel miserae, liquet *a)* ex iis, quae Christus dicit de Lazaro et divite (Luc. XVI. 19. seqq.); statim enim a morte Lazarus portatus est ab Angelis in sinum Abrahae: et sic eius sors felix firmata est in aeternum; ibi enim animae tunc consolatione quadam fruebantur, v. 25. exinde, post solutum a Christo redemptionis pretium, transiturae ad caelestem beatitudinem, ut recumberent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum. Matth. VIII. 11. Dives autem in infernum descendit, ubi flamma cruciabatur v. 24. unde non amplius egressurus erat nunquam eius tristissima sorte in beatam commutanda, v. 26. Christum autem exhibere non rem futuram post resurrectionem, ut quidam veterum sunt opinati, sed rem praesentem, patet ex iis quae Abraham et dives colloquentes inducuntur vv. 27. seqq. quae profecto post ultimum diem dicta sensu carerent.

Liquet *b)* ex verbis Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso* Luc. XXIII. 43. statim ergo post mortem futurus erat cum Christo ideoque beatus. Qualis sit haec beatitudo, dicendum erit in sequentibus: sed iam constat, beatitudine quadam tanquam praemio suae fidei donatam esse animam latronis illius vix ac excessit e vita; paradisus enim locum seu statum felicitatis designat, et esse cum Christo magna est felicitas. Philipp. I. 23.

Liquet *c)* ex verbis Petri de Iuda Act. I. 25. qui ab apostolatu *praevaricatus est ut abiret in locum suum*, εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον: locum nempe debitum praevaricationi suae, qui est locus poenae talisque poenae, ut melius ei fuisset, si non fuisset natus. Matth. XXVI. 24.

Liquet *d)* ex verbis Apostoli 2. Cor. V. 8. *Audemus* (θαρροῦμεν confidimus) *autem et bonam voluntatem habemus* (εὐδοκοῦμεν in hoc nobis

complacemus) *magis peregrinari a corpore* (ἐκδήμῆσαι ἐκ του σώματος exsulare a corpore) *et praesentes esse ad Dominum* (ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον habitare ad Dominum): sermo est de bonis et iustis quibus se connumerat Apostolus, isque docet discessum animae a corpore excipi a praesentia seu ab habitatione cum Domino, quae est status felicitatis. Docet scilicet coniungi haec duo, peregrinationem a corpore et praesentiam ad Dominum, quae duo locum simul habere non possunt, nisi eo tempore quod intercedit inter mortem et resurrectionem; post hanc enim non amplius peregrinamur a corpore. « Hoc autem, ait Chrys. in h. l., vult significare: vitam nostram is non exstinguit qui nos oppugnat et occidit: noli timere, sed confide, si morte afficeris; neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat et a gravi sarcina liberat, sed etiam ad Dominum confestim (ταχέως) transmittit. Vide quo sermonem adduxerit, nempe ad mortis desiderium, id quod molestum est ostendens esse suave et quod suave est, docens esse molestum ». Unde Thomas in h. l. « confutatur, ait, per haec verba error dicentium, animas sanctorum non statim post mortem deduci ad visionem Dei eiusque praesentiam; nam frustra sancti auderent et desiderarent peregrinari a corpore, si separati a corpore non essent praesentes ad Dominum ». Hinc 1. Thess. V. 10. ait: *mortuus* (Christus) *est pro nobis, ut sive vigilemus sive dormiamus* (h. e. moriamur) *simul cum illo vivamus.* Mortui iusti ergo cum Christo vivunt; iam proinde a morte eorum sors beata decisa est.

4. Ergo illico post mortem iudicium cuiuscumque animae sequitur, quo eiusdem status sive praemii sive poenae decidatur. Id tanquam rem omnibus notam colligit Augustinus ex primo textu citato, *De Anima et eius origine* l. 2. c. 4. « Nam illud quod rectissime et valde salubriter Vincentius Victor credit, iudicari animas, quum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oporteat iam redditis corporibus iudicari atque in ipsa, in qua heic vixerunt carne torqueri sive gloriari, hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem allatus est in sinum Abrahae, et in illo divite, cuius in Inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat? ». Atque probabile valde est, de hoc iudicio sermonem esse in epistola ad Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium;* phrasis enim *post hoc*, nisi contextus aliud postulari significet, obvio sensu de immediata consecutione intelligitur. Quamvis autem Apostolus 2. Tim. IV. 8. coronam iustitiae sibi promittat *in illa die* h. e. in die supremi iudicii, id non excludit praevertens aliquod iudicium quo status animarum singularum in altera vita

sive praemii sive poenae definiatur: sed mentione facta illius supremi iudicii, quod sollemnius est et quo corona iustitiae redditur homini integro, implicite illud etiam affirmavit, quod privatim necesse est praevertat atque illi conforme est futurum.

Iudicium Dei futurum in morte singulorum videtur docere Eccli. XI. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique iuxta vias suas:* quae affirmatio de facilitate aliam continere videtur, nempe sententiam ferre Deum de homine in die obitus: facilitas est in retributione reddenda.

Addit porro v. seq. *Et in fine hominis denudatio operum illius:* καὶ ἐν συντελείᾳ ἀνθρώπου ἀποκάλυψις (nimirum per iudicium) ἔργων αὐτοῦ (in textu hebraico reperto deest versus respondens latino 28° versui).

5. Ex Patribus seu scriptoribus ecclesiasticis antiquis qui huiusmodi iudicium particulare negaverit, forte unus est Lactantius qui *Div. Inst.* VII. 21. ait: « Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari. Nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen ». Testimonia ceterorum Patrum, quorum dubia hac in re sententia videri posset, quos conferre licet apud Bellarminum *De Beatitudine Sanctorum*, l. 1. c. 1. huc proprie non spectant, sed spectant ad quaestionem, an iusti statim a morte beatitudinem in visione Dei sitam consequantur, quae est alia quaestio a praesenti. Imo cum iis testimoniis illud certe contineatur, animas iustorum loco diverso a loco impiorum custodiri, ubi perfectam beatitatem praestolentur, constat iam a morte separationem fieri iustorum ab impiis, illos ad beatitudinem, hos ad poenam destinari, ideoque iam iudicium institutum sententiamque latam de utrorumque aeterna sorte. Idcirco de his testimoniis disputandum erit paulo post (§. 18.).

Concludimus verbis s. Ephremi *de Beatitud. animae* c. 1. « Beatus qui invenerit fiduciam in hora exitus sui, quando anima separatur a corpore. Venient Angeli assumere animam et perducent eam ante tribunal immortalis et metuendi iudicis. Grandis timor est, fratres, in illa hora mortis et separationis animae e corpore. Adsistent enim tunc ipsi animae opera eius, quae diu noctuque bona et mala gessit. Sancta anima, quae separatur a corpore, non timet, sed magis gaudens cum fiducia pergit ad Deum, evecta officiis Angelorum ».

§. 16. — Non est cur credamus, in iudicio particulari Christum assumpta persona iudicis conspiciendum fore.

1. Certum est, Christum esse iudicem: *neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.... et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ioan. V. 22.-27. *quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Act. X. 42. Verum haec et similia de eo iudicio accipienda videntur, cum Christus e caelo redibit, iudicaturus universum humanum genus. Sic enim verum est quod *Pater non iudicat quemquam;* quamvis enim, eo quod opera ad extra toti Trinitati sunt communia, et ipse Pater iudicet, tamen Is personam iudicis non assumit, externo ritu formaque indiciali hominibus loquens, quod in extremo iudicio Christus Filius hominis per se praestabit. At in iudicio particulari suntne partes propriae Filii hominis? licetne de eo quoque dicere, quod Pater neminem iudicat? Si in particulari iudicio Christus praebens se conspiciendum personam assumeret iudicis, idem de hoc iudicio dicendum foret quod de extremo et quaestioni mox factae respondendum esset affirmative eo sensu, quem valere diximus in universali iudicio. At nihil est quod nos cogat illud admittere.

2. Sane quod credimus, istud est, Christum e caelo venturum cum gloria iudicare vivos et mortuos. Symb. Apost. Nicaen. Act. Apost. I. 11. hoc autem spectat ad iudicium extremum: de alio adventu nihil scimus. An speciem aliquam sui offeret per ministerium Angeli in particulari iudicio? Non quidem speciem sensibilem, cuius anima separata non est capax. An Angelus ergo personam Christi gerens, se conspiciendum sistet intellectui animae separatae? Id quidem non repugnat; verum unde id novimus? neque ex Scriptura neque ex Traditione haurire id nobis licet: divinare autem in re theologica non oportet. Cf. Bellarm. *de Purg.* l. 2. c. 4. Ceterum nulla necessitas huius apparitionis. Iudicium hoc, ut iam monuimus, uno instanti absolvitur: divina sententia fieri potest nota animae interiore illustratione: frustra ergo alia adminicula quaeruntur.

3. Atque huc aptari possunt verba Augustini de iudicio quidem universali loquentis *de Civ. Dei* XX. 14. « Quaedam vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam atque ita simul et omnes et singuli iudicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur quidquid ea faciente recolitur ». Ita

Suarez *de Myst. Vit. Christi* d. 52. sect. 2. n. 15. ait: « In instanti mortis anima iudicanda elevatur intellectualiter ad audiendam sententiam iudicis ».

Porro haec vis divinae efficientiae seu elevatio intellectualis animae effectus utique est Dei iudicantis, sed verisimiliter, ait Suarez ibid., effectus est etiam imperii et (moralis) efficaciae hominis Christi, cui omne iudicium collatum est, atque sic Christus homo una iudicat cum Patre.

§. 17. — Iudiciaria Christi potestas etiam in hac vita exercetur.

1. Id subdimus, ut confirmemus quod ultimo loco in praec. §. diximus: Christum hominem singulos in morte iudicare. Non enim id mirari potest qui advertat hominem Christum in hac quoque vita homines iudicare. Sane iudicia divina in hac quoque vita locum obtinent. Ubicumque enim, ait Suarez l. c. n. 4. poenae vel praemii retributio intercedit, modum aliquem iudicii intervenire necesse est: iam vero in hac vita fit iustis et iniquis aliqua operum retributio. Porro, ait s. Thomas 3. p. q. 69. a. 4. « si loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanae subduntur eius iudicio ». Quod est actus auctoritatis et imperii, cui creaturas omnes necesse est subesse et obedire.

Idque apparere Thomas dicit « ex merito mortis eius, quia, ut dicitur Rom. XIV. 9. *in hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur*. Et ideo super omnes habet iudicium... Et Dan. VII. 14. dicitur, quod *dedit ei* (Deus) *potestatem et honorem et regnum et omnes populi, tribus et linguae servient ei* ».

Deinde idem apparere dicit « ex comparatione rerum humanarum ad finem humanae salutis. Cuicumque enim committitur principale, committitur et accessorium. Omnes autem res humanae ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur vel etiam repelluntur iudicio Christi, ut patet Matth. XXV. 34. 41. Et ideo manifestum est quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanae ». Vide utrumque argumentum valere etiam pro iudicio particulari post mortem cuiusque hominis.

§. 18. — Uberius declaratur quod superius praestitutum est (§. 15.) de definita sorte animarum post mortem.

1. Praestituimus statim a morte per sententiam iudicis destinari animas tum iustorum ad praemium felicitatis, tum impiorum ad poe-

nam gehennae: sed quaestio restat, an statim a morte vel postquam purgatae sunt animae iustorum ad beatitudinem sitam in visione Dei admittantur. De statu impiorum satis constare potest ex verbis Christi de Lazaro et divite. At quoad iustos quaestio non parum impedita est, ideoque secundis curis pertractanda.

2. Itaque historice constat, apud veteres Patres scriptoresve ecclesiasticos non paucas occurrere sententias, quibus affirmetur vel affirmari videatur, ante finale iudicium praemia et poenas nondum rependi et speciatim sanctorum animas perfecta non frui beatitudine ante resumpta corpora. Cf. haec testimonia apud Bellarminum *De beatitudine sanctorum* c. 1. Lud. Muratori *De Paradiso, non exspectata corporum resurrectione* c. 7. Huic sententiae adhaesisse quosdam Graecos, testis est Ioannes Plusiadenus aequalis Concilio Flor. in *Apologia pro quinque capitibus a Synodo Florentina definitis*, olim Gennadio scholario tributa (apud Migne P. G. tom. 159. col. 1271. seqq.). Hanc opinionem Calvinus amplexus est (cf. Bellarm. l. c.). Quaestio quidem exarsit in Ecclesia latina sub initiis sec. XIV., cum Ioannes XXII. litigantibus ea de re fratribus Minoritis atque Praedicatoribus, rem nondum esse definitam et certam declaravit, propendens potius in eam opinionem, quae perfectam beatitudinem sanctorum differebat, donec absolutum esset supremum universale iudicium. Ipse Pontifex pro hac opinione « pulcherrime et subtilissime quamplures allegaverat auctoritates » ut testantur doctores parisienses (apud Martene *Thes. nov. anecd.* p. 1383. ed. paris. 1717.), nihil tamen definire voluit, idque dissertis verbis professus est (cf. Natalem Alex. H. E. sec. XIV. diss. 11. a. 2.): imo morti proximus in contrariam sententiam potius concessit. Sententia autem Ioannis Papae et eorum qui cum eo stabant, non ea erat, ut negaret omnem beatitudinem animabus iustis ante resurrectionem, sed permoti verbis Apostoli concedebant quidem eas esse cum Christo, ipsum videre eiusque frui familiaritate, at inficiabantur easdem visione intuitiva divinitatis beatas esse, id saltem adhuc in quaestione versari Pontifex contendebat.

3. Quaestionem diremit primum Benedictus XII. successor Ioannis praedicti, const. *Benedictus Deus* 29. Ian. 1336.: « Auctoritate Apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animae sanctorum omnium.... mox post mortem suam et purgationem.... in illis qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale post ascensionem Salvatoris nostri I. Ch. in coelum, fuerunt, sunt et erunt in coelo, caelorum regno et paradiso caelesti cum Christo, sanctorum Angelorum consortio aggregatae, ac post D. N. I. Ch. passionem et mortem, vide-

runt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente. Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur. Et nihilominus in die iudicii omnes homines cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem ».

Successit Syn. Florentina, quae definivit: « Illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel iisdem exutae corporibus (in purgatorio) sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius : illorum autem animas qui in actuali mortali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas ».

Accedit Trid. Syn. sess. 25. decr. *De Invocatione SS.* hoc idem dogma tanquam certum praestituens, cum iubet Episcopos docere fideles, sanctos *una cum Christo regnantes* orationes suas pro hominibus Deo offerre « eosque impie sentire, qui negant, sanctos, *aeterna felicitate in caelo fruentes* invocandos esse ».

4. Iam vero praeterire non oportet, inter veteres Scriptores, ut iam monuimus, exstitisse non paucos, qui id negasse aut de eo dubitasse videntur. Sane Iustinus Dial. n. 5. ait : « Piae quidem animae in loco quodam meliori manent, iniustae vero et pravae in deteriore, iudicii tempus exspectantes ». Irenaeus adv. haer. l. 5. c. 31. « Animae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora et perfecte resurgentes h. e. corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei ». Consentit Tertullianus *De Anima* 55. Victorinus Petavionensis in Apoc. 6. 9. Lactantius quoque cuius verba recitavimus §. 15. Augustinus ipse *Retract.* l. 1. c. 14. « Et Angeli quidem sancti, quod ibi (in caelo) sint, nulla quaestio est: sed de sanctis hominibus, utrum ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere, merito quaeritur. Iam enim corpore corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc exspectant etiam ipsi redemptionem corporis sui et caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione claresci t ». Clarius *De Civit. Dei* l. 12. c. 9. « Cuius pars, quae coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur et nunc mortaliter peregrinatur in terra, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque re-

quiescit ». Unde *de Gen. ad litt.* l. 12. c. 35. interrogat: « Quid opus est spiritibus corpora sua in resurrectione recipere, si potest iis etiam sine corporibus summa illa beatitudo praeberi? »

Chrysostomus in 1. Cor. c. XV. v. 19. hom. 39. « Licet anima maneat, licet millies esset immortalis, ut est, bona illa ineffabilia sine corpore non reportaret, quemadmodum nec punietur ».

Bernardus serm. 3. *de Sanctis* n. 1. « Advertistis, ni fallor, tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei ».

Frequenter etiam affirmant Patres, animas iustorum abeuntes a corporibus ferri in *sinum Abrahae*, quo Lazarus deductus est, ubi visioni Dei locus non erat. S. Hilarius *in Psalm.* CXX. 8. S. Martinus Episc. Tur., ut loquens inducitur a Sulpitio Severo epist. 3. *ad Bassulam*, Ambrosius *de Bono Mortis* c. 12. Basilius *orat. de 40. MM.* Nazianzenus orat. 10. *in Laudem Caesarii fratris.* Prudentius *in hymno 10. Καθημερίνων,* Hieronymus epist. 20. *ad Eustochium* aliique, vel mentionem faciunt quorundam *habitaculorum*, ut Ambrosius *de Bono Mortis* c. 11.

Accedit, opinionem hanc de dilata beatitudine potuisse fomentum accipere ab exspectatione supremi universalis iudicii: quorsum enim istud habebitur si iam omnium sors sit definita et singulis id tributum quod meruerunt? ut audivimus ab Augustino.

5. Verum ut demonstretur dogma aliquando definitum contineri catholica traditione, opus non est, illud ab omnibus Patribus scriptoribusque ecclesiasticis, qui definitionem praecesserunt, clare assertum esse: nondum enim exsistente Magisterii ecclesiastici sollemni testificatione, potuit imo debuit esse locus negationibus quorundam et dubitationibus, eo quod in quaestione nondum definita, ex aliis certis doctrinis poterant se offerre intellectibus perspicacibus difficultates, quae ab assensu cohiberent, vel in assensum flecterent contrarium, vel doctores inducerent ut modo hanc modo illam opinionem praeferrent. Quocirca satis esse putandum est, si ex universa antiquitate testimonia afferantur, quae ostendant, sententiam, quae postea definita fuit, satis fuisse communem, si praesertim ii quoque qui dubitare vel negare videntur, eam identidem se amplecti significant.

Neque opus est, ut explicitis verbis *visio Dei* nominetur, dummodo aequivalentibus formulis exprimatur, quod ex contextu non admodum erit difficile eruere.

Itaque veniamus ad testimonia.

6. Clemens Rom. *epist. ad Cor.* 1. n. 5. « Ponamus, ait, ob oculos bonos apostolos, Petrum, qui propter zelum iniquum non unum aut alterum, sed plures sustinuit labores, atque ita martyrium passus, abiit in *debitum gloriae locum* εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης... Propter zelum et contentionem Paulus patientiae bravium ostendit... ad occidentis terminos ivit et coram praefectis martyrium subiit atque sic e vita migravit et in *locum sanctum* abiit, εἰς τὸν ἅγιον τόπον ». Quae verba conferenda sunt cum verbis Psal. XXIII. 3. *Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto eius?* utique acceptis spiritaliter, ideoque conferenda rursus cum verbis Domini Ioan. XIV. 2. *vado parare vobis locum* nempe *ut ubi sum ego et vos sitis* v. 3. Hic est sane *debitus gloriae locus:* ad quem eos quoque martyres pervenisse, qui Apostolis se adiunxerunt, significat Clemens, inquiens eos *nobile praemium* esse consecutos. Status ergo animarum sanctarum post mortem est status gloriae, status praemii, ut sint ubi est Christus: atqui Christus est in gloria Patris.

Martyr Ignatius martyrium subiturus, scribens ad Romanos, ait n. 7. « Amor meus crucifixus est nec est in me ignis materiae amans sed vivens et loquens aqua in me est, mihi interius dicens: *veni ad Patrem* ». « Sinite, ait n. 4., me ferarum cibum esse, per quas *Deum consequi* licet. At quando putabat se venturum ad Patrem, Deum consecuturum? Liquet ex verbis ad Trallianos n. 13. « Immolatur pro vobis spiritus meus non solum nunc, sed et quando Deum nactus fuero ». Scilicet: quando moriar, sed huic dictioni illam substituens: *quando Deum nactus fuero,* significavit, immediate se excipere mortem pro Christo et consecutionem Dei. Idcirco abitum a mundo copulat cum consortio Dei « Bonum est occidere a mundo ad Deum, ut ad illum oriar » ad Rom. II. 2.

In Martyrio (a) eiusdem sancti viri dicitur n. 6. quod « is citius e mundo discedere festinaret, ut perveniret ad Dominum, quem diligebat ». Atqui si post extremum iudicium tantummodo perventurus erat ad Dominum nempe ad Patrem (l. s. c.), non erat ratio cur festinaret mori.

Polycarpus epis. ad Philipp. n. 9. loquens de Apostolis et Ignatio

---

(a) Authenticam esse hanc narrationem ab iis nempe scriptam qui se comites dicunt Martyris eiusque interfuisse morti, plurimi viri eruditi Usher, Ruinart, Fillemont, Pearson, Gallandi, Cotelier, Mühler aliique censuerunt. Alii, inter quos Funk putant serius scriptam fuisse, quarto seculo exeunte vel quinto. Cf. huius *Opera Patrum Apostolicorum* vol. I. pag. LXXXVIII. seqq. Tub. 1887. Verum etsi ita sit, testis est haec legenda sensus illius aetatis.

aliisque martyribus, ait « persuasum vobis habentes, hos omnes non in vacuum cucurrisse, sed in fide et iustitia, et in debito ipsis loco esse apud Dominum, cum quo et passi sunt ». Porro *esse cum Domino* magna est merces omnia bona complectens, si credimus Apostolo 1ª Thess. IV. 16. loquitur enim Apostolus ibi de ea felicitate quae post resurrectionem erit, quae, omnibus fatentibus, est visio Dei.

In martyrio s. Polycarpi refertur n. 14. 1. Martyr in oratione ad Deum fusa haec dixisse: « Deus angelorum et virtutum et universae creaturae *totiusque generis iustorum, qui vivunt ἐνώπιόν σου.* » Tum n. 19. dicitur idem Martyr corona immortalitatis coronatus et bravium certissimum assecutus (cf. 1. Cor. IX. 24. 25.). Rursus de eodem n. 19. dicitur: « Postquam sustinendo iniustum praesidem vicit sicque immortalitatis coronam recepit, cum Apostolis omnibusque iustis exsultans Deum ac Patrem omnipotentem glorificat ac benedicit D. N. Iesu Christo ». In quo autem sita est haec gloria? audi eosdem scriptores huius historiae qui n. 2. de aliis martyribus iam defunctis loquentes aiunt: « Prae oculis habebant fugam illius ignis qui aeternus est et nunquam exstinguetur et oculis cordis respiciebant ad ea bona, quae reservantur sustinentibus, quae nec auris audivit, nec oculus vidit nec in cor hominis ascenderunt, iis autem a Domino monstrata sunt, quippe qui non homines amplius sed Angeli Dei essent ». Haec ergo bona statim a morte cum ceteris martyribus consecutus est Polycarpus, quibus bonis summa hominum beatitudo repraesentatur. Praeterea perpendendum quod in altero textu dicitur; martyres praegustasse ea bona in ipso martyrio eo quod *iam angeli essent,* nimirum in eo erant ut evaderent angeli, similes illis nempe qui semper vident faciem Patris. Matth. XVIII. 10. Ergo statim a morte visionem beatificam sancti consequuntur; neque enim est alia beatitudo Angelorum.

Dionysius Alex. loquens de martyribus aiebat (Cf. Eusebium H. E. VI. 42.). « Ceterum hi divini martyres, qui nunc *assessores sunt Christi et regni illius consortes ac iudicii participes* una cum ipso iudicaturi, dum heic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos et idolis sacrificasse convictos susceperunt ».

Confessores romani Moyses, Maximus aliique, acceptis litteris Cypriani hortatoriis, respondent eidem (inter epist. Cypriani 26.): « Ex tuis litteris vidimus gloriosos illos Martyrum triumphos et oculis nostris quodammodo caelum ipsos petentes prosecuti sumus atque inter Angelos et Potestates Dominationesque caelestes constitutos contemplati sumus. Sed et Dominum apud Patrem testimonium suum illis promissum perhibentem auribus nostris quodammodo sensimus ».

Si inter Angelos versantur, eadem ergo cum ipsis fruuntur beatitudine h. e. visione Dei.

Cyprianus De Mortalitate, versus finem « Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos et laqueis saecularibus exsolutos Paradiso restituit et *regno caelesti*. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? ecc. » Porro regnum caeleste est illud quod decernit Christus sanctis in extremo iudicio: *possidete paratum vobis regnum*, Matth. XXV. 34. sed tunc omnibus consentientibus non est reliqua nisi visio Dei.

Methodius Episcopus Tyri (apud Photium cod. 234.) « Quemadmodum, quum dies vitae nostrae praesentis defecerint, bona opera animas nostras recipient (cf. Apoc. XIV. 13.), ita brevi hac vita soluta, animae *ante resurrectionem habitationem habebunt apud Deum*, donec instauratam et nunquam casuram domum (corpus cf. 2. Cor. V. I. seqq.) recipiamus ».

Ephremus *serm. ad Monachos de ss. Patribus* « Deus valde eos diligens collegit eos in portum aeternae vitae gaudiumque sempiternum, quo illi exsultant inter Paradisi delicias, in caelesti thalamo, immortali sponso coniuncti ». In *sermone* vero *De laudibus ss. Martyrum*, eosdem alloquens ait: « Beatitudo vobis a Deo promissa iugiter versabatur ante oculos credentium firmiter, mentiri non posse Deum, qui ista promiserat. Quoniam igitur futura illa et sempiterna bona iugiter intuebamini, certi vos eis sine fine fruituros, idcirco, beatissimi, flecti mollirique non potuit vestra constantia ». Atqui beatitudo a Deo promissa, beatitudo sempiterna est visio Dei.

Gregorius Nyssenus Orat. consolatoria in funere Pulcheriae: « Igitur si a te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculos clausit, verum sempiterno lumini aperuit. A tua mensa discessit, sed ad angelicam adiuncta est. Hinc est avulsa planta, at in Paradiso consita est, *a regno in regnum* translata est. Doles quod illa corporis pulcritudo non amplius videatur. Non enim veram illius animae pulcritudinem intueris, quae nunc in festivo conventu caelestium exsultat. *Quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit* ».

Cyrillus Hier. Catech. 13. « O ingentem et inenarrabilem gratiam! nondum Abraham fidelis ingressus est et latro ingreditur. Nondum Moyses et Prophetae, et iam latro iniquus ingreditur ». Iam vero quo Abraham, Moyses, Prophetae adhuc ingressuri erant, non est nisi visio beatifica; nam quietem aliam inferiorem iam possidebant.

Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani:* « Scimus quidem Nepotianum nostrum esse cum Christo, et sanctorum mixtum choris, quod heic nobiscum rimabatur in terris et aestimatione quaerebat, ibi *videntem*

cominus dicere: sicut audivimus sic et *vidimus* in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri ».

Augustinus Serm. 302. *de s. Laurentio* 1. c. 20. Vita temporalis exstinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos quibus homines videbantur et mundus, aperire eos statim ut *Deus videatur!*... Terris repente retraheris, ut in regnis caelestibus reponaris ».

Chrysostomus Hom. 32. in epist. *ad Rom.* c. 16. Postquam discesserimus (e vita), athletam hunc videre mereamur. Imo si heic audierimus, et illic ipsum omnino videbimus, licet non e propinquo stantes: videbimus tamen prorsus apud regalem thronum splendentem, ubi Cherubim Deum glorificant, ubi Seraphim volant, ibi Paulum videbimus cum Petro in Sanctorum choro coryphaeum exsistentem ».

Gregorius M. in Iob. l. 13. c. 43. « Hoc iam caelestis muneris habemus, ut cum a carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, mox ad caelestia praemia deducamur.... Hi vero qui ante adventum Domini in hunc mundum venerunt, quantamlibet iustitiae virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinu caelestis patriae statim recipi non poterant, quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret et iustorum animas in perpetua iam sede collocaret ».

Bernardus Orat. 2. *de Malachia Episc.* n. 5. « Dilectus a Deo et hominibus non immerito hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur... nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis (Malachias = Angelus Iave) adimpletur, quando pari cum Angelis gloria et felicitate laetatur ». Porro, ut iam monuimus, felicitas Angelorum est visio Dei.

Idem Bernardus lib. *de diligendo Deo* versus finem affirmat « martyres immersos esse immenso pelago aeterni luminis et luminosae aeternitatis ». In epist. *ad fratres de Hibernia* dicit: « Animam Malachiae non iam in fide ambulare sed *in specie regnare* ». Atque in vita eiusdem sancti n. ult. ait: « Ego ne fleam illum, qui fletum evasit? ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui et ego eum plangam »?

7. Praeter haec recolendum est, persuasum fuisse Maioribus nostris, martyres certe statim a morte admitti ad supremam beatitudinem, ad visionem Dei. Id ex pluribus testimoniis productis facile liquet. Quibus integrum est haec addere. In actis s. Symphorosae, ipsa sic exhibetur loquens de martyribus: « Elegerunt magis decollari quam vinci, passi mortem, quae pro nomine Christi suscepta inter homines quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus

et gloriam sempiternam, inter quos nunc gradientes et trophea passionum suarum laudantes, *cum aeterno rege vita aeterna fruuntur in caelis* ».

In actis Symphoriani Martyris ita eum alloquitur mater. « Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum vivum... Aspice illum, qui regnat in caelis... Hodie tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Hodie nate *ad supernam vitam* felici commutatione migrabis ».

In actis Martyrum scillitanorum, dicunt hi: « Deo gratias ferimus qui dignatur nos hodie martyres *accipere in caelis* pro confessione sua ».

Cyprianus epist. *ad Plebem Thibaritanam:* « Gaudere nos et exultare voluit in persecutionibus Dominus; quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Christi, *tunc Martyribus patent caeli* ».

In actis ss. Fructuosi et Eulogii sic desinit eorum scriptor synchronus: « O beati martyres, qui *meruerunt dignam habitationem in caelis*, ad dexteram stantes Christi benedicentes Deum Patrem omnipotentem ».

In actis Procopii editis a Valesio in notis ad H. E. Eusebii. « Capite amputato *ingressum vitae caelestis* per compendium beatus invenit ».

In actis s. Philippi Episc. Heracleae et aliorum concludit Scriptor: « Felices Christi discipuli, eius sequuti vestigia.... comitati doctrinam Apostolorum et martyrum.... quorum iam exutae a labe terrena *animae ad caelestia regna properarunt* ».

Haec adeo certa erant, ut nec ausus fuerit negare Tertullianus, qui *de Resurrect. Carnis* 43. ait: « Nemo peregrinatus a corpore statim immoratur penes Dominum, nisi de martyrii praerogativa, Paradiso scilicet, non Inferis deversurus ».

8. Iam vero si martyres statim recipiuntur in caelis ad consortium divinitatis, ratio postulat ut idem credamus de ceteris animabus iustis, quas nulla inficit labes. Nam quod dignos nos reddit aeterna beatitudine non est passio, sed caritas: si enim *tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* 1. Cor. XIII. 3.; atqui caritas est quoque in ceteris iustis, eaque etiam potest esse maior: ergo.

Invenies tamen qui aliter sentire videntur. Ita Cyprianus epist. 52. 20., duos veluti ordines constituit, eorum scilicet, qui in carcerem missi purgantur igne, qui pendent in die iudicii ad sententiam Domini, et eorum, qui peccata omnia passione purgaverint et statim a Domino coronantur: verum heic est professio Purgatorii et censere videtur eos,

qui sine martyrio obierunt, purgandos usque in diem iudicii. Id vero qua ratione fit verisimile? Nisi putarit Cyprianus finem mundi valde esse vicinum.

9. Rursus certum erat Patribus, impiorum animas statim a morte in ignem aeternum detrudi; de qua sententia Patrum nemo dubitat. Id sane ex parabola Domini de Lazaro et divite nimis evidenter colligebant. « Neque enim, ait Hilarius in Psalm. 57. n. 5., suspenso adhuc iudicii tempore, quiescere peccatores sine poena erat dignum; viventes itaque eos cum poenae scilicet sensu absorbet ignis ». Et Chrysostomus hom. 24. in epist. ad Ephes. c. 6. « Magna est calamitas, inquit, hinc excedere habentes magna peccatorum onera. Nam in inferno, inquit, quis confitebitur sibi? illic est iudicium, non tempus poenitentiae. Quomodo flebat dives et nihil effecit? Quam multa dixerunt qui Christum non aluerunt? sed tamen abducti sunt in ignem aeternum ». Ven. Beda in Evang. Ioannis, c. XI. v. 11. « Mortem nostram dormitionis nomine Scriptura significat, nam corpus, cum deseritur ab anima, dormit in sepulcro.... Animae vero, dum deserunt corpora, diversas receptiones habent. Gaudium bonae, malae tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora quando cum corpore torquebuntur ».

Hieronymus Comm. in Amos. l. 3. c. 8. « Quando anima vinculis laxata corporeis volandi quo velit.... habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur,... aut certe ad caelestia sublevabitur ». Ita Augustinus de Genesi ad litt. l. 12. c. 32. docet improborum animas, cum de corpore exeunt, ferri ad *loca poenalia* ad *infernales poenas*. Error Armenorum notatur a Benedicto XII. (cf. Bernini Hist. Haer. Tom. 3.). « Nulla anima vadit ad Infernum vel Paradisum caelestem vel terrestrem usque ad tempus iudicii ».

Iam vero si mali statim supremo afficiuntur supplicio, aequum est ut pariter boni supremo praemio donentur: Deus enim magis pronus est ad praemiandum quam ad puniendum.

Non est autem cur miremur, si identidem a Patribus status iustorum post mortem exhibeatur ut *status exspectationis:* praestolantur et desiderant integritatem suae naturae resumpto corpore (cf. *Div. Comm. Par.* XIV. 43.-62.) et glorificationem sui ante universos homines in die iudicii. Quae cum certo sint futura, nullam anxietatem parit haec praestolatio.

10. Quod vero identidem Patres dicant, animas recipi *in sinum Abrahae*, minimam exhibet difficultatem. Nam « in sinu Abrahae re-

quiescere nihil aliud significat nisi communionem, familiaritatem cum Abrahamo et in eiusdem bonorum participationem ac felicitatem admitti: quod quidem significavit Christus Matth. VIII. 11. inquiens de credentibus: *recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum.* Cum enim Abraham pater sit credentium, quicumque fidem eius vivam sectantur, ad eum colligi et cum eo esse intelliguntur. Quapropter nihil prohibet esse in caelo divinaque visione frui qui nunc dicuntur esse in sinu Abrahae, si hic ibi iam est. De s. Martino, quem in caelo una cum Angelis esse credimus, canit Ecclesia: *Martinus Abrahae sinu laetus excipitur.* Atque ita Patres accipiendi. Sane Augustinus in Psal. XXX. 8. ad ea verba: *Abscondes eos in abscondito vultus tui* quaerit: « qualis est locus iste? non dixit: abscondes eos in caelo tuo, non dixit, abscondes eos in Paradiso, non dixit: abscondes eos in sinu Abrahae, *multis enim nominibus loca futura sanctorum in Scripturis sanctis posita sunt* ». Theophylactus in Luc. XVI. « Sinum Abrahae vocant complexionem bonorum, quae reposita sunt iustis, qui a tempestate huius maris ingrediuntur in portus caelestes, quoniam et in mari sinus appellamus loca portubus et quieti apta ».

Chrysostomus hom. 22. in Matth. c. 8. ad ea verba quae mox citavimus: *recumbent* etc. ait: « caeleste regnum non suo nomine, sed *sinum Abrahae appellavit* ».

Hieronymus epist. 20. ad Eustochium, de morte Leae loquens ait: « nunc igitur pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, *Abrahae sinu confovetur* ».

In liturgia Iacobi haec occurrit oratio: « Fac nos requiescere in regione viventium, in regno tuo et deliciis Paradisi, *in sinu Abrahae*, Isaac et Iacob patrum nostrorum, unde exsulat dolor, tristitia et gemitus, ubi *praesidet lumen vultus tui et perpetuo refulget* ».

Perinde est ergo sinus Abrahae ac Paradisus, qui et ipse nomen est translatum a terrenis paradisis, vel speciatim a Paradiso terrestri Gen. II. 15. ad significandas delicias felicitatis in caelo. Paradisus enim vox persica (a), hortum significat deliciis omnibus instructum, ideoque merito inditum est hoc nomen loco aeternae beatitudinis. Atque ad hanc ipsam significandam beatitudinem usus est hac voce Christus, cum dixit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*, unde merito creditur mos derivatus ad christianos vocandi hoc nomine patriam caelestem.

11. Profecto non omnes Patres aut Scriptores veteres in idem concinunt, quod quidem non raro et in aliis contingit dogmatibus. Verum

(a) « Paradisus, ait Pollux l. 9. c. 3, barbaricum nomen videtur, consuetudine tamen in usum venit Graecorum, sicut alia plura persica ».

nonnulli opinione chiliastarum imbuti abduci facile potuerunt a veritate in hac re. Alii potius dubii haerent et non semper eodem loquuntur modo, ut Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, quod in quaestione nondum definita, si seorsim spectentur quaedam Scripturarum testimonia aut doctrinae capita, usuvenire solet.

Ita Augustino l. antea citato dubitatio suborta est ex dogmate de resurrectione, quam dubitationem non suo sed alterius nomine proponit. « Si quem movet, ait, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis *etiam sine corporibus summa illa beatitudo praeberi* », quibus verbis dubitatio aliorum de resurrectione corporum, non de beatitudine animae ante resurrectionem exprimitur. Praemisso autem, difficiliorem esse quaestionem, quam finire nequit hoc sermone, respondet quod ante resurrectionem *non sic possit anima videre Deum quemadmodum vident Angeli, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corporis administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illum summum caelum, quandiu non subest corpus cuius appetitus ille conquiescat.* Unde consequitur necessitas resurrectionis, ut perfecta beatitudo habeatur. Nec interea negat Augustinus animas videre Deum, sed negat videre sicut vident Angeli, perfecto scilicet modo, propter animi quandam inquietudinem, quae mentem quoque retardet, quam sententiam Bernardus est secutus. Verum in his habemus specialem Augustini doctrinam, non ecclesiasticae traditionis. Idem porro, quin aliquid definiat, proponit primo loco cit. ex *Retract.* Locus autem *de Civ. Dei*, prout nunc legitur, nobis videtur etiam quoad syntaxim seu connexionem verborum impeditus: ceterum secreta animarum tabernacula secretaeque sedes non beatitudinem excludunt et in caelis quoque esse possunt; *multis* enim *nominibus loca futura sanctorum in Scripturis sanctis posita sunt*, ut ait idem Aug. l. superius c.

Habemus itaque, doctrinam confirmatam a Benedicto XII., a veteribus, ab initio quoque, traditam esse, nonnullos aut negantes aut dubitantes non officere testimonio traditionis, Scripturas penitius inspectas suffragari definitioni: ergo.

12. Sane clara est doctrina Scripturarum. Iam §. 15. ea protulimus testimonia, ex quibus id conficitur. Et quoad textum Lucae, non est cogitandus Paradisus terrestris, qui non amplius erat, nec si exstitisset, locus fuisset idoneus animae, quo nec Christus erat venturus: sed Paradisus est cogitandus, de quo loquitur Paulus 2. Cor. XII. 4. qui est tertium caelum. Praecipue perpendendus locus Apostoli 2. Cor. V. 8. 9., quem etiam superius expendimus. Nam Apostolus haec duo con-

nexa esse docet, peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum seu cum ipso habitare, ita ut dum anima separata est a corpore, vivat cum Domino. Et sane si id ei non accideret nisi post resurrectionem, non desideraret peregrinari a corpore, ut praesens esset ad Dominum. Porro eadem est sententia Philipp. I. 23. *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*, esse proinde cum Christo alio certe modo ac nunc est, non per solam gratiam: si autem cum Christo non esset futurus nisi post resurrectionem, nulla esset causa, cur nunc cuperet dissolvi; cupit enim ut sit cum Christo. Iam vero quid Apostolo sit *esse cum Christo* in altera vita liquet sane ex hoc loco cit. 2. Cor. V. 7.; nam opponit duo ambulare *per fidem* et per *speciem*, illud vero tribuit tempori huius exilii, hoc *cum praesentes erimus Domino:* ergo tunc cessabit fides; atqui nisi Deus videatur, fides manet: ergo. Tum liquet ex 1. Thessal. IV. 16. ubi enarrata iustorum resurrectione, qui in nubibus obviam Christo sunt ituri, concludit: *et sic semper cum Domino erimus:* atqui his edici supremam beatitudinem omnes dabunt; nam de ea sermo est, quae post resurrectionem obtinet. Perinde est ergo Apostolo esse cum Christo in altera vita et aeterna Dei visione frui, h. e. ibi esse ubi est ipse Christus, quemadmodum idem Christus promisit Ioan. XIV. 3. cohaeredibus eius iustis omnibus effectis.

PURGATORIUM

§. 19. — Purgatorii nomine intelligitur status poenalis pro iustis post mortem, atque intelligi quoque solet locus aliquis in quo ipsi sint.

1. Nomine Purgatorii intelligimus statum quendam animarum post mortem, in quo ideo animae constituuntur, ut purgentur h. e. ut exuant omnem moralem labem et omne debitum poenae, quae reliqua in ipsis adhuc reperiantur. Quia vero animas oportet esse alicubi, quamvis, eo quod sunt spiritus, non requirant corporalem locum proprie dictum: si tamen 1° nomen loci universaliore quadam significatione accipiatur, Purgatorium intelligitur quoque locus, ubi animae purgantur atque haec est communis intelligentia fidelium. Si vero 2° ratio habeatur ignis realis, quo, ut videbimus, creditur animas purgari, sic locus proprie dictus censendus est esse, ubi animae purgentur. Locum quendam esse satis significavit Trid. Syn. sess. 25. *Decreto de Purg.* inquiens « Purgatorium esse, animasque *ibi detentas* » etc. Porro τὸ *ibi* est adverbium loci.

2. Quaestio profecto fieri potest, an unus concipiendus sit locus pro omnibus; nullam enim hac in re habemus definitionem Ecclesiae: qui-

dam sane putaverunt non unum esse locum, sed singulas animas purgari ubi peccaverunt; at fere communis sententia Theologorum, imo et fidelium ea est ut sit unus locus omnibus purgandis destinatus. Cf. Suarez tom. 22. d. 45. sect. 2., cui sententiae aequum est adhaerere; tum propter auctoritatem, tum propter probabilem rationem. « Sicut enim, ait Suarez l. c., omnibus peccatis certas poenas certa lege Deus definivit, ita etiam certa loca destinavit ac praeparavit, in quibus illae poenae luendae sunt; quia locus ipse est pars quaedam poenae, quatenus in eo spiritus vel contra dignitatem suam, vel etiam contra desiderium detinentur ».

Locum hunc esse in inferioribus terrae sinibus defendit Bellarminus *De Purgatorio* l. 2. c. 6., tanquam sententiam communem Scholasticorum. Et sane si ibi animae iustorum detinebantur ante Christum, Christi enim anima ad inferos descendit (Symb. Apost. Rom. X. 7.) non immerito credimus et animas quoque purgandas ibidem detineri. Cf. sis auctores citatos.

3. Purgatorium igitur eo spectat, ut animae, quae iustae et sanctae excesserunt ex hac vita adhuc tamen aliqua inquinatae macula et alicuius satisfactionis debitrices, purgentur prorsus, ut esse cum Deo valeant aeternaque beatitudine potiri. Hactenus conceptum dedimus Purgatorii: at cum plures de eo agantur questiones, quaeritur 1° an verum sit, Purgatorium esse.

Purgatorium esse negavit seculo IV. Aerius, teste Epiphanio haer. 75. tum Waldenses sec. XII. unaque Petrus De Bruis, Albigenses deinde tum Wiclefistae et Hussitae ac tandem Protestantes. Cf. Bellarm. *de Purgat.* l. 1. c. 2.

§. 20. — Purgatorium certe exsistit.

1. Non pauca sunt, quae Purgatorii exsistentiam demonstrant. In primis analogia fidei, h. e. veritatum revelatarum nexus et exigentia. Certum est enim, *a)* ad aeternam beatitudinem non admitti animas infectas adhuc aliqua vel minima labe peccati, aut alicuius satisfactionis adhuc debitrices; nam si qua est ecclesia gloriosa, ea est, quae est in caelis, haec porro est sancta et immaculata, sine macula et ruga Eph. v. 27., ut idcirco in eam non intret quaelibet immunditia πᾶν κοινὸν Apoc. XXI. 27. Debitum autem aliquod erga Deum, quod nondum sit solutum, impedit necessario consecutionem beatitudinis; praemium enim supremum et immutabile, quod omnibus bonis operibus redditur, nequit rependi iis qui nondum omnia praestiterunt ad quae tenentur, atque huc spectat sententia Christi Luc. XII. 59.

Non exies inde (ex carcere), *donec etiam novissimum minutum reddas:* reddendum est scilicet Deo omne, cuius debitum contraximus in hac vita, ideoque et satisfactionis. Certum est *b)* remisso peccato post baptismum admisso non ideo aboleri omnem reatum poenae, sed frequenter superesse, ut demonstravimus in Tr. *De Poenit.* ubi *De Satisfactione.* Certum est *c)* fieri posse nec dubitandum est id frequenter contingere, ut moriatur iustus cum reatu culpae peccatorum venialium et reatu poenae temporalis pro mortalibus remissis. Itaque quo abibit iste iustus? non in gehennam, quia iustus est filiusque Dei adoptivus; non in caelum, quia nondum est sine ulla macula et ruga, et nihilominus, eo quod iustus deique filius adoptivus, ius habet ad hereditatem, quae nequit in aeternum differri. Aut ergo Deus omnia condonat in morte; aut mors ipsa est omnium peccatorum expiatio, aut reliquus est status, in quo anima iusti omnem labem exuat et omne debitum solvat. Atqui primum gratis prorsus asseritur; divina enim condonatio non fit absque aliqua nostra dispositione vel merito. Alterum contra rectam rationem supponitur; nam, praeterquam quod mors est poena peccati originalis, vel ipsa mors vel eiusdem libera acceptatio dicitur expiatio peccatorum actualium. Iam vero non ipsa mors; nam expiatio actus est moralis, non aliquid tantummodo physicum, ut ipsa mors: si autem acceptatio libera eiusdem dicatur expiatio, id pendebit ex acceptationis morali perfectione et merito. Atqui frequenter fiet *a)* ut nulla sit libera acceptatio, in iis e. g. qui ex improviso moriuntur, nec antea cogitarunt de acceptanda sponte morte: *b)* frequentissime continget ut meritum acceptationis non adaequet omne debitum et sic deleat omnem reatum poenae, ergo illud, quod reliquum est, in altera vita erit solvendum. Igitur analogia fidei postulat, ut locus sit Purgatorio in altera vita.

2. Haec porro est doctrina catholicae traditionis. Sane in omnibus vetustissimis liturgiis exstat deprecatio ad Deum pro defunctis. Ita Cyrillus Hier. catech. myst. 5. liturgiam exponens ecclesiae hierosolymitanae, ait n. 9.... « Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima ».

Brevius in liturgia relata l. 8. Constit. Apost. c. 13. « Sanctorum martyrum memores simus, ut digni habeamur participes fieri eorum

certaminis (haec aetate persecutionum scripta sunt). Pro iis qui in fide requieverunt, oremus ».

In liturgia tributa s. Basilio legitur: « Memento, Domine et omnium ex ordine sacerdotali, qui pridem quieverunt et eorum qui erant in ordine laicorum. Praesta, omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac et Iacob. Induc et congrega eos in locum herbosum, super aquam quietis in paradiso voluptatis... Illis quidem, Domine, quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum caelorum transferre dignare ».

In liturgia tributa Chrysostomo legitur: « Pro requie et remissione animae servi tui N.: in loco lucido, unde aufugit dolor, gemitus, da illi requiem, Deus noster et fac eam quiescere ubi circumspectat lumen vultus tui ».

In libro Sacramentorum Gregorii M. cuius vetusti codices ad sec. VII. referri possunt, exstat pro defunctis oratio, quam hodie quoque recitamus (Migne P. l. LXXVIII. 26.).

Veteris huius praxis in Ecclesia latine testis est Augustinus *De Cura pro mortuis* n. 3. « Non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio mortuorum ». Item Cyprianus epist. 9. « Episcopi antecessores nostri censuerant, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur ». In Ecclesia graeca testis est huius praxis Chrysost. hom. 3ª. in epist. ad Philipp. n. 4. « Non temere ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam ».

3. Hinc frequens apud Patres occurrit commendatio suffragiorum pro fidelibus defunctis. Nazianzenus orat in Caesarium circa fin. « Ipsi Deo et nostras et eorum, qui quasi in via paratiores prius ad hospitium pervenerunt, animas commendemus ». Gregorius M. Dial. l. 4. c. 50. « Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra conspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt ». Ceterum opus haud est id productis testimoniis ostendere; cum ipsi haeretici concedant, primis tredecim seculis hanc fuisse in Ecclesia persuasionem communem. Ita Calvinus *Inst.* l. 3. c. 5. Sane unus Aerius dissensit, qui et propter hoc habitus est haereticus, penes Epiphanium haer. 75. Universalem morem fatetur Augustinus Serm. 172. n. 2. « Orationibus sanctae Ecclesiae et sacri-

ficio salutari et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia ». Isid. hisp. *de Eccl. Offic.* l. 1. c. 18. « Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum est ». Ex universalitate scilicet colligit antiquitatem, quam et Tertullianus testatur *de Cor. mil.* c. 4. « Oblationes pro defunctis annua die facimus. Harum et aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi praetenditur autrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix ».

Atque huc referre licet quod legitur in Actis ss. Perpetuae et Felicitatis, quae passae sunt sub Septimio Severo. Scilicet in visione ostensus est Perpetuae frater suus Dinocrates iam defunctus, in loco tenebricoso versans, siti enectus; pro quo deinceps cum gemens et lacrimans die et nocte orasset, rursus illum vidit in loco lucido, refrigeratum ac ludentem. Ex quo illa intellexit, « translatum eum fuisse de poena ». Dinocrates mortuus erat septennis, baptizatus quidem fuerat sicut universa familia Perpetuae, quae, ut ipsa testatur, tota erat Christiana, excepto patre: at, ut advertit Augustinus *de Origine Animae* lib. 3. c. 9. potuit septennis mentiri, vel aliud quidquam ad patris gentilis suasionem contra Deum facere.

4. Porro utilitas quam ex sacrificiis, precibus, eleemosynis animae defunctorum percipiunt, est remissio peccatorum, ut aeternam ingredi mereantur beatitudinem. In Constit. Apost. l. 8. c. 41. « Oremus pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum et propitius ac benevolus ei factus collocet eum in regione vivorum ». Isid. hisp. l. sup. cit. « Hoc ubique catholica tenet Ecclesia, quae nisi crederet, fidelibus defunctis remitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret vel sacrificium offerret ». Inscriptiones sepulcrales in coemeteriis subterraneis Romae id saepe significant. Ita epitaphium cuiusdam Agapes:

> Vos precor, o fratres, orare huc quando venitis,
> Et precibus totis Patrem Natumque rogatis.
> Sit vestrae mentis Agapes carae meminisse,
> Ut Deus omnipotens Agapen in secula servet.
>
> Marucchi, *Elements d'Archeologie Chretienne*, I. p. 191.

Alia inscriptio in Musaeo Lateranensi sic absolvitur: « ut quisque

de fratribus legerit, roget Deum, ut sancto et innocente spirito ad Deum suscipiatur. » Ibid.

Sane si orandum, si sacrificia offerenda et eleemosynae pro animabus defunctorum, haec non sunt facienda pro animabus ad Gehennam damnatis, nec pro iam beatis, sed pro illis, quae ad beatitudinem destinatae nondum eam sunt consecutae; atqui impedire eas nequit a consecutione hac nisi reatus aliquis culpae aut poenae contractus in hac vita: hoc unum ergo eis restat ut a quolibet reatu solvantur; huc igitur spectant orationes, eleemosynae, sacrificia vivorum, scilicet ut illis peccata remittantur.

Quocirca nisi animae defunctorum iuventur suffragiis vivorum, ipsas per se necesse est expiare reliquum reatum, purgare se scilicet a maculis peccatorum heic admissorum: est proinde post mortem status et locus Purgatorii pro iustis nondum plene purgatis.

5. Haec autem doctrina Scripturis continetur. 2. Machab. XII. 39. seqq. narratur, quod cum Iudas cum suis traditurus esset sepulturae corpora eorum, qui in quadam pugna paulo ante ceciderant, inventa sunt sub tunicis interfectorum donaria idolorum, quae ex praeda facta sibi vindicaverant, *a quibus lex prohibet Iudaeos.* Quocirca qui cum Iuda erant ad preces conversi rogabant deleri prorsus delictum, *τελείως ἐξαλειφθῆναι τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα.* Iudas proinde facta viritim *κατ' ἀνδρολογίαν* collatione, duodecim millia (*δισχιλίας* 2000) drachmas argenti misit Ierosolymam, ut offerretur pro peccatis mortuorum sacrificium, considerans, iis, qui cum pietate dormierunt, reservatam seu reservandam esse pulcherrimam benevolentiae significationem (*κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον.* Subdit scriptor inspiratus: *quae sancta et pia est cogitatio: unde pro mortuis expiationem fecit, ut a peccatis solverentur.* Quae redeunt ad sententiam generalem vulgatae: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

Monet Calmet h. l., nulla pro mortuis imperata fuisse in lege sacrificia, consuetudinem tamen apud Iudaeos aetate Iudae viguisse, ut offerrentur, quod ex hac ipsa narratione liquet. Advertit praeterea, scriptorem libri in id data opera incumbere, ut contra Sadducaeos, qui iam tum audiri coeperant, veritatem resurrectionis adstrueret: cf. VII. 9. 11. 14. 23. 29. 36. XIV. 46. atque ita pariter nostro in loco (Iudaeos una coniunxisse quaestionem de animorum immortalitate et de resurrectione, videbimus infra).

Ne quis vero miretur, dici pie obiisse qui adversus legem sacrilegii rei fuerant, superstitiosis rebus sibi usurpatis, advertit idem, considerasse Iudam, eos pro patria et pro lege pugnasse et cecidisse, quod est opus certe pietatis: non oportuisse autem ipsum credere, eos, illis donariis

sibi sumptis, graviter peccasse; nam forte ex ignorantia egerunt aut in animo habebant deferre illa ad Iudam, igne liquanda: vel potuisse sperare Iudam, eosdem ante mortem poenituisse, ita ut Deo satis fuerit morte temporali eos plectere, in spem resurrectionis iustorum reservatos. Id reputari caritas iubet, dum certa in contrarium argumenta deficiunt. Ut ergo hoc peccatum penitus deleretur, Iudas et ceteri qui cum eo erant, collectam a singulis pecuniam Ierosolymam miserunt pro sacrificio.

Itaque, ut cum Bellarmino arguamus, ex his constat, sententiam fuisse Iudaeorum et sententiam esse scriptoris inspirati, posse homines pie mori, manente aliquo debito solvendo, posse eos post mortem a peccatis solvi, atque ad id conferre suffragia vivorum, nisi ita inventur, poenam pro peccatis suis mortuos subituros: atqui haec est ipsa doctrina de Purgatorio; ergo. Adverte, cum Lutherus libros Machabaeorum reiecisset a canone Scripturarum, videret autem demonstrationem Purgatorii praecipue sua aetate peti ex allato testimonio, affirmavit quod *Purgatorium non potest probari ex s. Scriptura quae sit in canone:* quae est prop. 37. damnata a Leone X. 16. maii 1520. Nihilominus haec damnatio per se non infert, tum validam esse allatam demonstrationem, tum libros Machabaeorum esse in canone, nam aliis canonicis Scripturis eadem veritas satis demonstratur.

Ex Scriptura V. T. nullum aliud occurrit testimonium, quo idem probetur; quae enim congerit Bellarminus, vel non sunt idonea, vel sola quorundam interpretum *accomodatione* huc trahuntur.

6. Ex T. N. primo occurrit Matth. XII. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro.* Ex quibus verbis Domini sic arguit evidenter Augustinus *de Civ. Dei* l. 21. c. 24. « Neque enim de quibusdam veraciter diceretur: *neque in hoc seculo neque in futuro,* nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro ». Pariterque Gregorius M. *Dial.* l. 4. c. 39.: « In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse laxari: quod enim de uno (crimine) negatur, consequens intellectus patet, quod de quibusdam conceditur ».

Aiebant Protestantes, ex negatione non sequi in bona dialectica affirmationem, quemadmodum non sequitur: Philippus non est rex Venetorum, ergo aliquis alius est rex Venetorum. Respondet Bellarminus l. c. c. 4. permittens, non sequi secundum regulas dialecticorum id quod infertur ex verbis Domini; sed una contendens sequi secundum regulam prudentiae; quia scilicet alioqui faceremus Dominum ineptissime locutum: sicut inepte loqueretur qui diceret: rex Philippus non

absolvet te neque in aula Hispaniae neque in aula Franciae: non autem loqueretur inepte si diceret: neque in aula Hispaniae neque in aula Brabantiae. Qui scilicet serio loquitur hoc pacto, praesertim si doctorem agit, significat utrumque membrum divisionis esse possibile; eaque facta hypothesi seriae cum gravitate orationis, ipsa dialectica id concedere debet, cum ex tali locutione id necessario sequatur.

Alii aiebant, haec verba *neque in futuro* dicta esse a Christo per hyperbolem, quae incredibilia quoque complectitur, quemadmodum loquitur Ioannes vers. ult. Evang. Sed hoc est divinare, nec Christo docere volenti gravitatem peccati tribuenda est hyperbole inepta, qualis est cum fit partitio et uni membro nihil respondet, ut rursus advertit Bellarminus. Formula vero a Ioanne adhibita prodit ex se ipsa hyperbolem.

At nonne ex nostra interpretatione consequitur, peccata etiam gravia remitti in seculo futuro, peccata contra Filium hominis ex. gr.; nam videtur auxesis a seculo praesenti ad futurum: quocirca si in hoc seculo peccata gravia dimittuntur, etiam imo maiora in altero seculo dicenda erunt posse dimitti: quod catholici negant.

Respondeo, nullam esse auxesim, sed utrumque tempus significari quo peccata remitti possunt: quaenam vero peccata in seculo futuro sint remissibilia, non ex hoc loco sed ex aliis Scripturae vel Traditionis testimoniis colligendum esse: subiunxisse autem Christum huic seculo seculum futurum, quia reapse haec est naturalis consecutio.

Ast nonne Marcus eundem sermonem referens III. 29. verba Christi ita expressit: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti?* quibus in verbis de peccatis remissibilibus in altera vita nullum vestigium.

Respondeo, non esse declarandam propositionem explicitam per implicitam, sed e contrario implicitam per explicitam. Porro explicita est propositio apud Matthaeum, utpote distinguens membra, quae in unum colligit Marcus: verba idcirco apud Marcum exponenda sunt per verba Matthaei atque haec per se ipsa interpretanda.

Iam vero remitti posse peccata in altera vita est elementum proprium status vel loci illius qui dicitur Purgatorium: ergo Purgatorium exsistit.

7. Dices, ex eo quod in altera vita remittantur peccata nondum sequi Purgatorium esse; nam Purgatorium dicit poenam, propter quam remissio obtinetur: at remissio praescindit a poena; potest enim esse remissio gratuita: ergo.

Respondeo, remissionem gratuitam hoc pacto intellectam, ut nihil

pro ea impertienda Deus requirat ab homine qui actualiter peccavit, esse conceptum alienum a doctrina revelata (tract. *De Poenit.* 74. 36.)

Et frustra quidem hortaremur homines ad poenitentiam agendam criminum iam remissorum, si omnis poena reliqua post mortem statim absque ulla nostra passione condonaretur, et frustraneus esset usus indulgentiarum.

8. Alter locus ex N. T. occurrit 1. Cor. III. 10.-15. *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificet.* 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* 12. *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum, stipulam.* 13. *Uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* 14. *Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet.* 15. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem.*

Disserit Apostolus de ministris Evangelii, et directe de ministris in Ecclesia Corinthi, comparans ministerium praedicationis structurae aedificii, eosque ministros verbi considerat, qui post ipsum in promovendo et complendo hoc aedificio adlaborant. Aedificium autem est ipse internus status Ecclesiae ex fide et pietate resultans, quem nata est gignere praedicatio verbi. Statuit proinde in primis, fundamentum huius aedificii esse Christum Iesum, doctrinam nempe de Iesu messianitate et divinitate, monetque operarios, ut videant quomodo super hoc fundamentum superaedificent. Et quidem distinguere licet (metaphora retenta aedificii) tres operariorum classes: tum eos scilicet, qui idoneis adhibitis lapidibus partem suam, ut par est, extruunt magnifice, tum eos qui minus congrua aut inepta materia usi structuram promovent non permansuram, tum eos, qui non superaedificantes extruunt, sed potius destruunt, fundamentum submoventes. Primos comparat Apostolus iis, qui superaedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, alteros iis qui lignum, foenum, stipulam superaedificant: tertios iis qui templum Dei corrumpunt, corrumpendi et ipsi a Deo. De his ultimis modo non sumus solliciti. Quod spectat ad primam et alteram classem, advertendum est, utramque super fundamentum aedificare, et quamvis altera minus congrue et inutiliter superaedificet, fundamentum tamen relinquere intactum et pro viribus laborare.

Iamvero dicit Apostolus, quod dies Domini qui in igne revelabitur,

declarabit quale sit uniuscuiusque opus, quali nempe mercede dignum. Dies Domini *κατ' ἐξοχήν* est dies secundi adventus Domini, in quo manifestationi operum erit locus, et qui in igne revelabitur, seu per ignem. De quo igne loquitur idem Apost. 2. Thess. I. 8. et Petrus 2. epist. III. 10.-12. De hoc igne data opera disserendum erit, cum de fine mundi disputabimus. Itaque, ait Apostolus, si cuius opus, quod superaedificavit, conflagrante igne, manserit, is mercedem accipiet: manent autem in igne aurum, argentum, lapides pretiosi, ut nihil ab igne patiantur: operarii ergo primae classis, qui aurum, argentum, lapides pretiosos superaedificarunt, *mercedem accipient* debitam laboribus superaedificationis; haec autem est quaedam specialis merces prae communi beatitudine seu communi salute iustorum. Eorum autem, qui lignum, foenum, stipulam superaedificarunt, opus profecto ardebit, in igne enim haec consumuntur; ideoque illi detrimentum patientur, seu punientur, attamen salvi erunt sic tamen quasi per ignem. Detrimentum est carentia mercedis aliis tributae, quod liquet ex oppositione cum prioribus, ut idcirco verbum *ζημιωθήσεται* recte suppleatur *τὸν μισθὸν ζημιωθήσεται,* mercedis iacturam faciet. Nihilominus salvi et hi utique erunt quia fidem servarunt et pro Domino laboraverunt: quia tamen haud recte laborarunt, poena quadam mulctabuntur salvi quidem erunt, sed tanquam qui per ignem transiens conflagrationi se surripit, qui profecto fieri nequit ut quodammodo non laedatur.

Haec Apostolus de iis qui ultimo die vivi reperientur; non raro enim de secundo Christi adventu loquitur ac si ipse eiusque aequales usque ad illum diem essent permansuri. Cf. § 7.[m]

9. Igitur hic ignis, de quo Apostolus loquitur, non est ignis Purgatorii, quemadmodum immerito censuit Bellarminus: quorsum ergo in praesenti quaestione provocatio ad hunc locum Apostoli? Scilicet ex his verbis Apostoli habemus « doctores illos, quos Dominus in suo adventu inutilia docentes deprehendet, non tantum illo igne probatum iri, sed etiam ad salutem non esse perventuros, antequam per ignem illum transeuntes poenam inutilium suorum laborum luerint. Unde summo iure colligimus, quaedam esse peccata, quae hominem quidem a salute non excludunt, temporali quadam poena tamen auferri debent priusquam salus obtineatur. Porro eodem iure colligimus, alios christianos omnes quos Dominus adveniens gratia quidem sanctificante ornatos sed levioribus eiusmodi naevis et maculis adspersos invenerit, eadem ratione, qua doctores illos, eodemque igne punitum et purgatum iri, ut aeternae salutis participes fieri possint; eadem enim ex utraque parte militat ratio. Ulterius quoque sequitur, aliquem ex illis doctoribus, quos Apostolus prae oculis habet, si ante adventum Domini

subita morte abreptus esset, nec salute aeterna privari, nec immediate ad eam admitti posse, i. e., eum aeternam salutem obtenturum quidem esse, sic tamen quasi per ignem, postquam nimirum poenis quibusdam temporalibus divinae iustitiae satisfecerit atque a maculis suis purgatus sit. Quapropter omnes christianos, qui solis levibus naevis maculati ante secundum adventum Domini ex hac vita decedunt, poenis temporalibus purgandos esse antequam ad beatitudinem ingrediantur, ex loco hoc paulino legitime deducitur ». Cornely Comm. in h. l.

10. Utique ii, de quibus Paulus loquitur, qui in fine seculorum reperientur, quandoquidem morituri non sunt (cf. § 7[m]), purgandi erunt igne antequam ad vitam gloriosam immutentur, ideoque adhuc in hac vita mortali exsistentes: cum e contrario Purgatorium sit in altera vita post mortem. Verum quemadmodum alia simili poena plectendi fuissent post mortem illi, de quibus loquitur Paulus, si morte fuissent abrepti ante ultimum diem; poena enim debite solvenda est, nec anticipata mors valebat eos eximere a conditione aliorum, qui idem peccaverant: ita et poena simili puniendi sunt, qui ante diem iudicii cum aliquo debito poenae ex hac vita decedunt. Apostolus supponit doctores illos, qui non recte suo munere sunt functi, poenitentiam non egisse de peccato ante revelationem ultimae diei: quod et in ceteris supponendum est.

11. Tertium testimonium. Luc. XII. 58. seq. cum plura superius praecepta Christi moralia referantur data discipulis atque reprehensio turbarum, quod non cognoverint tempus messianicum, subduntur haec Christi verba. *Cum autem* (gr. cum enim) *vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te ad iudicem et iudex tradat te exactori et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.* Bene monet Bellarminus l. c. c. 7. non eo spectare his verbis Christum, ut ostensione humani periculi doceat, oportere debitores cum suis creditoribus opportuno tempore reconciliari; non enim solet Dominus tam serio docere humanam prudentiam, ad hoc enim non venit: cum praesertim ipse testatus sit, filios huius seculi prudentiores esse filiis lucis. Allegoricus ergo est sermo et iudex heic est ipse Deus; atque ita sane haec verba cum praecedentibus cohaerent quibus redarguuntur Iudaei, quod Christum esse Messiam adeo cunctarentur agnoscere. Cohaerere autem haec cum praecedentibus, satis ostendit particula *γάρ* in textu graeco. Si autem allegorica est locutio, minime opus est *singula* persequi eaque ad rem significatam accomodare; in huiusmodi enim allegoricis sermonibus quaedam spectant dum-

taxat ad ornatum. Itaque brevi sententia est: oportere homines se cum Deo componere, omniaque debita cum eo contracta solvere, ante quam se sistant divino iudicio; secus enim debitum accuratissime ab iis exiget severissimus iudex, nec dimittentur donec vel minimam reddiderint partem debiti. Ergo qui post mortem iudici Christo se sistit, nondum liber a quolibet debito poenae propter peccata contracto, illud in carcere solvet, h. e. in Purgatorio.

Atque haec satis sint ad demonstrationem catholicae veritatis, Purgatorium esse. Hanc sane doctrinam professa est Ecclesia: atque ita habet tum professio Fidei praescripta Valdensibus ab Innocentio III. tum professio fidei edita a Michaele Palaeologo in Synodo oecumenica Lugdunensi 1274. ita definitum a Florentina Synodo in Decreto unionis, cui consonat Tridentinum sess. 25. ab initio et sess. 6. c. 30.

§. 21. — Animae in Purgatorio satisfacere non valent.

1. Quamvis iustae sint nec intrinseca eis elementa, ut ita dicam, desint satisfaciendi, nequeunt tamen *satisfacere*, sed solum *satispati*. Ratio est, quia, quemadmodum non sunt in statu merendi, pariter non sunt in statu satisfaciendi. Status sane merendi desiit per mortem (§. 8.): porro ad satisfaciendum requiritur habilitas ad merendum expedita, ut anima nempe sit in statu merendi. Satisfactio enim est libera exhibitio poenae sponte susceptae, quam Deus acceptat in compensationem iniuriae, ratione habita non tantum operis sed et dignitatis offerentis qui meretur ut ea exhibitio poenae acceptetur, ex quo fit ut heic minor poena sufficiat, quam quae in Purgatorio exigeretur. Satisfactio igitur convenit ei qui in statu merendi versatur. Praeterea absoluto statu probationis, post sententiam in iudicio latam, non amplius permittitur reo libera dispositio sui suarumve actionum quibus remissionem poenae decretae consequatur, sed subeunda est poena decreta a iudice; non restat ergo animae iudicatae nisi ut ei poenae integrae se subiiciat statutae a iudice; quod est satispati. Profecto voluntate concomitante ipsa acceptat poenam; sed nec eam ipsa eligit, nec amplius ratio habetur meritorum eiusdem, sed dumtaxat aequalitatis inter poenam et debitam compensationem. Haec est doctrina Ecclesiae, quae propterea adeo sollicita est, ut fideles suffragiis suis succurrant animabus quae se ipsas nequeunt iuvare.

§. 22. — Praeter reatum poenae aliquis reatus etiam culpae in Purgatorio remittitur.

1. Reatum poenae illiusque temporalis expiari in Purgatorio, manifestum est: huc enim ipsum spectat et testimonia ex Traditione atque Scriptura hactenus producta in evidenti luce id collocant. At quaestio est de reatu culpae, non quidem mortalis, sed venialis. Scilicet quemadmodum fieri potest ut quis decedat, nondum liber ab omni debito poenae, ita quoque fieri potest, ut quis moriatur cum reatu culparum venialium nondum deleto, sive per sacramentum sive per eos proprios actus, quibus remissio peccati venialis obtineri potest et solet. Oportet profecto hunc reatum aboleri antequam ad beatitudinem anima admittatur, cuius consecutio per illum impeditur: videtur autem post mortem sive in Purgatorio non posse aboleri. Sane iam sacramentis non est locus neque amplius mereri licet, quo ad consecutionem finis quis se disponat (§. 8.): remissio vero culpae citra Sacramenta, per aliquod opus meritorium obtinenda est. Quid ergo dicendum?

2. Tenendum est, oportere illum reatum aliquando aboleri; iustus enim et filius Dei adoptivus ius habet ad hereditatem, qua nequit in aeternum privari, quae esset vera damnatio: quocirca, dummodo id fieri possit nec divinae ordinationi repugnet, certum esse debet, quod hic reatus deletur in anima egressa a corpore, exsistente utique in Purgatorio, ut poenam, quae illi respondet, subeat. Quomodo autem id fiat, declarat s. Thomas q. 7. *de Malo* a. 11. Nimirum anima iusta egressa a corpore sponte fertur in finem cuius est digna atque in actum erumpit caritatis in quo semper perseveret. Porro actus caritatis in hac vita tum quia adversatur culpae veniali, tum quia meritorius est, obtinet remissionem culpae venialis. Ipse enim actus caritatis retractatio est seu resipiscentia ab offensa illata per culpam, ut idcirco iam exsistat aliqua ratio cur Deus amplius iratus non sit contra eum qui peccavit. Et quidem si actus caritatis sit meritorius, iustus per actum caritatis ipsam iure merebitur condonationem culpae: si vero ratione status in quo versatur iustus diligens Deum nequeat amplius mereri, actus caritatis erit saltem dispositio, qua exsistente Deus gratis reconcilietur ei, qui leviter peccavit. Caritas enim in subiecto mutationem quandam in ordine morali verissime inducit, inferens displicentiam et aversionem a culpa admissa: cum vero Deus nihil amplius postulare possit, haec obiectiva mutatio ratio est ipsi sufficiens, ad modum simplicis dispositionis seu conditionis, ut culpam condonet, quin tamen

augeat gratiam sanctificantem et quin poenam remittat vel minuat, quod augmentum et quae remissio vel diminutio deberetur in statu viae actui caritatis utpote meritorio. « Oportet dicere, ait s. Thomas l. c., quod venialia peccata remittuntur iis post hanc vitam quantum ad culpam eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum caritatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae sicut in hac vita ». Unde ad 9^m^ ait : « Remittitur ergo in Purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum ». Cf. De Lugo *de Poenit.* d. 9. s. 2.

3. Itaque *in Purgatorio* quidem culpae veniales condonantur, non tamen, proprie loquendo, *per Purgatorium* h. e. per eam poenam eosque cruciatus, quos ibi animae patiuntur, sed per actum caritatis, ut dictum est. Cf. Thom. l. c. Dicimus *in Purgatorio*, quo statim a morte animae pergunt : si quis tamen instantia distinguens, tum illud quo anima sistitur Iudici, tum illud quo in Purgatorium demittitur, vellet eo priori instanti elici ab anima iusta actum caritatis eoque a culpa mundari, non admodum repugnaremus.

§. 23. — Probabile est animas in Purgatorio exsistentes virtutibus quoque augeri.

1. Mirabitur forte quis huiusmodi quaestionem ; Purgatorium enim eo spectat ut purget, non ut augeat opes spirituales : verum si causam intelligat cur quaestio proponatur, desinet, puto, mirari. Res huc redit. Sententia est theologorum, animas beatas virtutibus omnibus, quarum sunt capaces, et secundum cuiusque dispositionem, instructas esse, ut si qua eas non sibi comparaverit in vita mortali, easdem per quandam divinam infusionem vel ope ipsius beatitudinis acquirat. Id sane postulat, aiunt, status omnium bonorum aggregatione perfectus, et quemadmodum perficietur corpus dotibus supernaturalibus exornatum, ita multo magis convenit ditari animam dotibus propriis, quae sunt virtutes. Cf. Suarez *de Ult. Fine hom.* d. 10. s. 2. s. Thom. 1. 2. q. 67. Porro si ita est, quaestio fieri potest, an haec pulcritudo atque hic decor animae consequatur ipsam beatitudinem, visionem nempe Dei et caritatem ex ea procedentem, an potius praevertat beatitudinem, tanquam conditio ab eadem praesupposita et in Purgatorio obtineatur.

Si virtutum perfectio iam sit in hac vita acquisita, quod in pluribus sanctis contingit, nulla est quaestio; nam ipsae manent (quomodo maneant et quae, dicendum erit cum de beatitudine disputabimus): quaestio proinde est reliqua quoad eas animas, quae, licet in statu gratiae, exierunt ex hoc mundo vel cum incompleta cultura virtutum vel habitus pravos adhuc gerentes. Iustus quidem habet infusas supernaturales virtutes, etiam morales: sed hae sunt ad modum potentiarum, nec per eas iam fit ut aliquis sit e. gr. humilis, patiens, ut oportet, etc.

2. Nihil utique certi hac in re possumus affirmare nec video doctores de hac quaestione sollicitos, cum praesto non sint testimonia Scripturae vel Traditionis ad quaestionem dirimendam, ut integrum videatur alterutram partem eligere.

Et sane videri potest, decorem hunc animae situm in cumulo virtutum consequi ad beatitudinem; nam haec idonea est ad hunc effectum gignendum et cum illam perfectionem exigat, naturaliter producet. Idonea est, inquam: nam virtutes sunt rectitudo eaque eximia animae, rectitudo autem animae ex cognitione et amore honesti pendet et per eas paulatim in hac vita efficitur: ubi vero est perfectissima cognitio et perfectissimus amor honesti boni nempe Dei, hic effectus consequi statim potest, ut nimirum anima diligat Deum ex toto corde et ex omnibus viribus suis velitque Ei hoc pacto adhaerere: atqui id, quemadmodum excludit possibilitatem peccandi in eo statu, ita infert quoque habitualem rectitudinem omnium facultatum, h. e. virtutes omnes proprias illius status. Cum hic effectus ergo a possessione beatitudinis determinari possit, non sit autem ipse necessarius ante huius assecutionem; satis est enim omnem reatum culpae et poenae abolitum esse, probabile efficitur, in ipsa beatitudine et per ipsam hunc eximium decorem virtutum animam induere, cum proportione ad eius dignitatem atque ad gradum beatitudinis.

Praeterea persuasio est in Ecclesia communis, animas martyrum statim recipi in caelum; opus autem non est supponere, quod quilibet martyr et omnes virtutes ante mortem perfecte acquisiverit, et alienus fuerit a quolibet habitu vitioso: ergo hae animae in ipsa beatitudine quod ipsis in hac re deest consequi dicendae sunt.

3. Nihilominus probabile est quoque, quod ornatus iste virtutum praevertat consecutionem beatitudinis. Fieri autem posse, ut anima in Purgatorio exsistens comparet sibi virtutes quibus caret, suadetur hoc pacto. Nam certe ipsa nedum habitualiter, sed et actualiter diligit Deum in eumque fertur omnibus viribus suis, quod quidem obtinet in omni habente caritatem perfectam, remoto quovis impedimento: atqui tantus ignis amoris aptus est ad excoquenda omnia vitia, omnesque

habitus minus rectos, et quidem positive, excitatis nempe virtutibus oppositis aliisque si quae desint.

Etenim dilectio Dei ex omnibus viribus eademque iugis et permanens ordinem ponit in ipsis viribus convertens easdem ad Deum atque ita rectitudinem stabilem in eis efficiens ad detestationem omnis pravae inclinationis, ipsis quoque poenis, quas tolerant, impellentibus; porro haec rectitudo ipsa est virtus; ergo. Neque id fit mediante aliquo merito, sed efficacia, ut ita dicam, physica ipsius caritatis, qua ut diximus cum s. Thoma, culpae macula aboletur, qua caritate exsistente et operante, naturaliter illum effectum consequi necesse est, quemadmodum contrarium a contrario tollitur.

Si ita est, tenendum est animas in Purgatorio exsistentes nedum posse, sed reapse virtutes, quae in ipsis desiderantur, sibi comparare, nisi negare velis eas ex toto corde omnibusque viribus Deum diligere. Concedenda videtur ergo haec inter poenas suavis occupatio animabus illis, ut se virtutibus induant. Hoc pacto profecto se melius disponunt et praeparant ad ingressum in Paradisum, quo nihil intrat inquinatum.

Si autem haec perfecta dispositio obtineri potest ante ingressum in beatitudinem, ratio suadet ut credamus, eandem a divina Providentia exigi, vel, si mavis, ab ea acceptari.

Ita Lessius *de Summo Bono* l. 2. c. 29. « Qui detinentur in Purgatorio, ibi facile omnes suos affectus corrigere brevissimo tempore et consequenter omnes virtutum habitus comparare sibi possunt. Hinc tamen non sequitur ibi esse locum meritis: quia ut habitus infundatur, non est necesse ut actus sit meritorius illius habitus, sufficit, ut sit ultima dispositio naturae ordine vel Dei dispositione requisita, ut patet in peccatore, qui potest crescere in fide, spe, temperantia christiana, etsi nihil mereatur; imo ei qui primo credit infunditur habitus fidei, etsi sit in peccatis ».

4. Neque obest conclusioni privilegium martyrum, propter quod abolito omni reatu culpae et poenae, statim in Paradisum introducuntur; nam non dicimus, eam dispositionem esse necessariam ad ingressum in caelum; sed cum eadem obtineri possit et, nisi toti fallimur, reapse obtineatur in Purgatorio, censemus in illis animabus virtutum, quae statui beatitudinis conveniunt, acquisitionem praevertere consecutionem beatitudinis.

§. 24. — Anima in Purgatorio aliquid impetrare sibi valent et aliis non sibi tamen directe relaxationem poenae.

1. Impetratio fructus est orationis: porro non videtur dubium, ait Bellarminus l. 2. c. 15. quin hae animae pro seipsis orent.

In primis sane certum est, posse eas orare Deum, cum ipsis nihil desit ex iis quae ad talem actum requiruntur, qui est petitio decentium a Deo; nam haec cognoscere possunt et desiderare atque per actum mentis desiderium suum Deo proponere.

Nihil autem impedit, quominus oratio eorum sit impetratoria: etenim quod obstare videretur, illud foret, quod ipsae sint extra statum merendi: atqui aliud est meritum, aliud impetratio; meritum enim innititur iustitiae, impetratio autem gratiae seu misericordiae (2. 2. q. 83. a. 16. ad 2.[m]). Et sane sancti quoque in caelo sunt extra statum merendi et nihilominus certum est eos orare et impetrare. Et quia merita orantis conferunt ad augendam vim impetrationis iuxta illud Psalmi XXXIII. 16. *Oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum*, habent tum sancti in caelo, tum animae in Purgatorio efficaciam impetrandi ex meritis praecedentibus (2. 2. q. 83. a. 11. ad 1.[m]), ut idcirco quo praestantiores fuerunt in sanctitate, eo credantur potentiores esse ad impetrandum.

Quaeritur ergo quid sibi possint impetrare animae in Purgatorio exsistentes? an relaxationem vel imminutionem poenae? directe non puto; nam haec est conditio eius, qui post sententiam subditus est poenae ut sibi ipse amplius subvenire non valeat atque hic est sensus Ecclesiae, quae propterea, ut iam alias in simili occasione diximus, adeo est sollicita, ut suffragia pro illis a viventibus offerantur.

2. Indirecte tamen nihil prohibet eas impetrare huiusmodi beneficium, quatenus impetrare possunt, ut suffragia pro ipsis a viventibus fiant, eademque ipsis applicentur. Sic enim duo componuntur, et facultas impetrandi, quae animabus illis negari nequit, atque observatio legis, ut animae illae non per se ipsas, sed per alios satisfaciant. Id cohaeret cum sententia Augustini, suffragia viventium iis animabus applicari, quae id in vita sua meruerunt *de Cura pro mortuis* c. 1. Possunt ergo hae orare Deum ut praecedentium meritorum ratio habeatur.

Quaeritur, an valeant eaedem animae aliquid impetrare pro viventibus? S. Thomas id negat q. cit. a. 11. ad 3.[m] quia cum sint in poena, non sunt in statu orandi sed magis ut oretur pro eis». Verum per illud additum *magis* temperatur sententia negans, atque contraria

Bellarmini sententia l. 2. c. 15. probabilissima est, quam confirmat sensus fidelium qui se animabus illis commendant. Sane quod in beatis valet, valere etiam debet in animabus illis; ipsae enim meritis apud Deum sunt auctae, sunt Deo dilectae, nobisque caritate coniunctae in unum Christi corpus: atqui his continetur propria ratio cur beati valeant impetrare nobis bona; nam beatitudo, prout est bonum orantis nihil ad id confert, prout vero maiorem obtinet caritatem sive Dei sive beati, id quidem efficiet, ut ceteris paribus, magis Deus inclinetur ad preces beatorum, non autem ut ad eas solum; quoniam id quod essentiale est, in utrisque reperitur. Atque haec dicta sufficiant in ista quaestione.

§. 25. — Animae in Purgatorio exsistentes certae sunt de sua aeterna salute.

1. Cum Lutherus nondum fidem Purgatorii abiecisset, non recte tamen de animabus sentiebat ibi detentis; affirmavit enim duo, alterum: *Animae in Purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem non omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut scripturis ipsas esse extra statum merendi aut augendae caritatis* (prop. 38.) alterum: *Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quaerunt requiem et horrent poenas* (prop. 39.). Damnatae sunt a s. Sede 18. Maii 1520. In priore propos. altera pars cohaeret cum prima: si enim adhuc sunt in statu merendi ideoque et demerendi, incertas esse oportet de sua salute: e contrario si certae sunt, non amplius sunt in statu probationis. Damnatione huius propositionis statuitur illud, quod docuimus §§. 15. et 18.

2. Quaerere licet, unde s. Sedes hauserit hanc doctrinam: Animas in Purgatorio certas esse de sua salute; disserta enim testimonia Scripturarum vel Traditionis hac in re non occurrunt, nec a theologis producuntur. Nihil aliud dicendum videtur, nisi s. Sedem habuisse tanquam certam et revelatam doctrinam de iudicio particulari statim post mortem, quo sors aeterna stabilitur animarum, quod nos confecimus §§. 15. et 18.

Sane si ita est, quemadmodum consequitur non amplius esse post mortem locum meritis, sic quoque consequitur, animas in Purgatorio certas esse de sua salute.

Iudicium enim fieri nequit, quin reo sententia innotescat; sententia ergo Christi iudicis nota est animae egressae a corpore: igitur anima in Purgatorio novit se esse in Purgatorio, non in Inferno, atque destinatam esse ad regnum aeternum.

Praeterea conscia est sibi ipsi anima, se Deo libentissime credere, in eum sperare eumque vehementissime diligere; atqui haec sunt ei certissima argumenta, se non esse damnatam: aliter enim prorsus se habent animae damnatae.

Item anima separata se ipsam immediate intuetur: videt idcirco, an sit ornata gratia necne, an actus suae voluntatis sint ordinati in Deum, an non; idcirco anima in Purgatorio scit se iustam et sanctam esse, ideoque sibi deberi Paradisum.

Ergo *omnes* animae, non aliquae tantum, sunt in Purgatorio certae de sua salute quemadmodum nos docet s. Sedes quoque in proscriptione lutheranae propositionis: et si aliter dicunt revelationes quaedam quibusdam sanctis tributae, non sunt audiendae.

3. Quid ergo est, quod Ecclesia pro defunctis a longo etiam tempore orat: *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum etc.* Respondemus cum Bellarmino l. 2. c. 5. quod Ecclesia vere orare intendit in suffragium animarum ut in caelum admittantur; transferens vero se ad tempus quo primum e corpore egrediuntur, eo pacto loquitur quo reapse loquendum esset si tunc animae migrarent. Et quemadmodum absurdum non est, nunc post 19. secula dicere in adventu Domini: *Rorate caeli desuper et nubes pluant iustum etc. — Ecce Dominus venit de longinquo — Veni ad redimendum nos in brachio extento — Crastina die delebitur iniquitas terrae* et similia, ita non est absurdum pro iam defunctis dicere: *Libera eos de ore leonis etc.*

Nonne illae animae adhuc sunt imperfectae in caritate et imperfecta caritas crescere potest? quod est Lutheri argumentum.

Respondeo, caritatem earum esse perfectam; sed diversos esse in singulis gradus caritatis perfectae, quod locum habet etiam in beatis quorum caritas non est par. Quod vero impedit ne caritas crescat est discessio a statu viae, ut iam saepe dictum est.

§. 26. — Probabile est poenam Purgatorii esse ignem.

1. Certum est 1ª esse poenam, quae dicitur *damni*, h. e. privationis seu dilationis beatitudinis: qua in re duo sunt distinguenda, tum ipsa privatio per se, tum tristitia animae determinata ab hac privatione. Porro in illa reperitur ratio mali: malum est enim animae iustae, exsuli a corpore privari fruitione Dei, sive doleat sive secus: in hac reperitur ratio formalis poenae, qua angitur anima, dolens in eo quod finis consecutio differatur. Dices, carentiam visionis Dei non esse quoad

illas animas privationem, quia nondum est ipsis debita et idcirco quemadmodum in hac vita non est illa carentia poena, quia non heic debita visio, ita neque in Purgatorio; eo quod nondum debeatur. Verum cum mors sit finis probationis, quam excipere debet consecutio finis, anima egressa a corpore in eo statu reperitur, in quo debetur ei, nisi quid ex parte sua obstet, beatitudo: quocirca tunc eius carentia induit rationem verae privationis et haec est ratio doloris seu poenae.

2. Praeter hanc poenam Theologi aliam admittunt, quam dicunt poenam sensus. Verum tristitia et dolor ex privatione beatitudinis nonne et ipsa est quaedam poena sensus, qualis in spiritu esse potest? Profecto: sed haec Theologis non est satis; qui sub nomine poenae sensus intelligunt dolorem causatum ab aliquo exteriori principio, ad similitudinem doloris sensibilis, quem nunc experimur ab obiectis externis, quae in sensus agunt. Atque has poenas censent indicari in ecclesiasticis monumentis, cum dicuntur animae *poenis Purgatorii post mortem purgari* (definitio Florentina). Certumne est, subiici huiusmodi poenis animas Purgatorii? Id probari solet ex eo, quod conversio ad creaturas, quae in peccato locum habet, resarcienda sit per subiectionem peccatoris creaturis seu alicui creaturae. « Spiritus, ait s. Bonaventura *Brevil.* 7. 2., qui contempto bono aeterno ac summo, se subiecit infimo, iuste debet inferioribus subiici, ut ab eis suscipiat poenam ex quorum occasione perpetravit culpam et ratione quorum et Deum contempsit et se ipsum vilem fecit ». Id confirmatur ex analogia poenae Inferni, ubi praeter amissionem finis et desperatam tristitiam ex ea procedentem, alia est poena, ignis nempe, cuius ratio peti solet ex conversione peccantis ad creaturas. Sed etsi ratio petatur ex eo quod talis poena convenit *actualiter* peccanti (§. 12.), modo perinde est. Habemus hac in re praeterea consensum theologorum, qui non potest nisi temere contemni, ait Bellarminus l. 2. c. 11. Accedit consensus eorum Patrum, qui de igne Purgatorii loquentes, ut videbimus, hanc poenam sensus profitentur.

Quaeritur ergo, an haec poena sensus sit poena ignis. Cum id quaeritur, intelligitur ignis materialis, par vel similis nostro; nam ignis spiritualis nescimus quid sit et res eo rediret, ut poena sensus adstrueretur, ignorata causa extrinseca immediata eiusdem. Specialis quidem est difficultas nobis prae veteribus in concipiendo hoc igne.

Nam ille ignis erat elementum per se stans, non secus ac terra, aqua et aer, atque idcirco substantia, cui supremum locum decreverant inter elementa, circa aeris ambitum scilicet. At reapse ignis non est nisi quoddam phaenomenon ex calore et luce in corporibus se explicans et flamma, quae ad suam sphaeram tendere dicebatur, est ma-

teria tenuissima ex citissimo motu calens et lucens, quae, amisso calore, evadit fumus. Si ergo ignis ponitur, necesse est substantiam quandam adesse materialem, eamque, si flammam esse velimus, in tenuissimas particulas divisam, quae ardeat et urat, quae materia renovanda semper est, ut ignis perduret; nisi praeternaturalis intercedat actio Dei, materiae defectum prohibens. Hoc autem pacto iam secundum quid differret ille ignis a nostro; ab aliqua tamen differentia accidentali nec Scholastici abhorrent. Cf. infra de igne inferno.

3. Itaque quaeritur an sit ignis in Purgatorio. Nihil habemus ab Ecclesiae magisterio expresse definitum. In Concilio florentino quamvis latini cuperent, in decreto unionis, ubi Purgatorii veritas stabilitur, ignis quoque mentionem fieri, obnitentibus tamen Graecis, ab eo definiendo cessatum est, neque de eodem, quamvis abessent Graeci, locutum est Tridentinum. Etsi vero desit definitio expressa, estne nihilominus doctrina de igne Purgatorii annumeranda iis doctrinis, quae communi consensu ab universa Ecclesia creduntur? « Subiectio enim quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda non est ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur », ut ait Pius IX. in litteris ad Archiepp. Monacensem et Frisingensem 21. Dec. 1863. et postea in Conc. Vaticano sancitum est sess. 3. Const. de Fide c. 3. Cum indicium ordinarii magisterii totius Ecclesiae per orbem dispersae *tradentis aliquid tanquam divinitus revelatum*, praebeatur universalis et constans catholicorum theologorum consensus *retinens illud ad fidem pertinere*, advertimus, teologos catholicos nondum censuisse, sententiam de igne Purgatorii pertinere ad fidem, h. e. esse revelatam. Id negavit Suarez *de Poenit.* d. 46. s. 2., recentesque theologi id quidem admodum probabile dicunt (Hurter *Theol. dogm. Comp. de Deo Consumm.* n. 825. qui aliquos negantes refert), sed negant esse de fide (Einig *Institutiones Theol. Dogm. de Deo Consumm.* pag. 34.). Fideles quidem id generatim admittunt, sed non exinde constat, id eosdem credere tanquam dogma revelatum. Quaestio est ergo, quae inter theologos versatur.

4. Rem esse certam intra latitudinem opinionis theologicae censet Suarez l. c. tum propter consensum Patrum latinorum in Conc. Florentino, tum propter consensum theologorum; praeterea propter verba Apostoli 1. Cor. III. 15. et tandem propter quorundam Patrum auctoritatem.

Et quod spectat ad consensum latinorum qui intererant Concilio Florentino et generatim ad consensum Theologorum id opinantium, is certo adest. Quod spectat ad verba Apostoli, ea iam explicavimus §. 19. Argumentum exinde ductum huc redit. Si igne purgabuntur ii, de quibus Paulus loquitur, probabile est igne quoque purgandos esse, qui, morte praeventi ante diem iudicii, in pari cum ipsis conditione versantur. Cf. ibid. dicta.

5. Et sane apud Patres mentio occurrit purgationis per ignem. Nazianzenus *Carm. de vita sua* n. 12. v. 10. seq. « Finem quidem illorum dimittam extremo igni, qui cuncta explorat et iuste expurgat ». Alludit ad verba Apostoli citata. Nyssenus *Orat. Catech.* 35. « Quoniam in aqua et igne vis est quaedam abstergendi et mundandi, qui per aquam mysticam (baptismi) vitii sordes abluerunt, non habent opus alia purgatione; qui autem non fuerunt initiati mysterio huius purgationis, necesse est igne purgari ». Praecisione facta ab iis quos s. Doctor censet indigere purgatione ignis, manifestum est, ipsum credere, purgationem quandam a sordibus vitiorum per ignem futuram. Ita Clemens Alex. *Strom.* 7. 6. « Nos dicimus, ignem sanctificare ἁγίαζειν non carnes, sed animas peccatrices, ignem dicentes non illum edacem et mechanicum, sed φρόνιμον qui pervadit animam transeuntem per ignem ». Quibus verbis cum alludat ad verba Apostoli citata, ignem verum seu materialem intelligere dicendus est, qui φρόνιμος tamen est, *prudens* scilicet, quoniam iuxta Apostolum omnes quidem probabit sed solum sordescentes cruciabit.

Clarius Cyprianus *epist.* 52. n. 20. « Aliud est missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse ». Augustinus, qui in *Enchir.*, n. 69. rem videtur in medio relinquere, alibi absque dubitatione rem proponit. *In Psalm.* 37. n. 3. in ea verba: *salvus erit sic tamen quasi per ignem*, ait: « quia dicitur: *salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita ». Et *de Gen. contr. Manich.* l. 2. c. 20. « Qui agrum (animae suae) non coluerit, habet in hac vita maledictionem terrae suae in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel poenam aeternam ». Cyrillus Alex. *in Ioann.* l. 10. ad v. 2^{m} c. 15. loquens de divina correptione ait: « Exigua plane est tribulatio qua purgamur, sed dum supernam illam disciplinam nobis praebet, beatos nos efficit. Cuius rei testis nobis erit beatus David, ita clamans: *beatus homo, quem tu erudieris Domine et de lege tua docueris eum,*

ut mitiges ei a diebus malis. Dies enim profecto inauspicati et mali sunt iis, qui penitus resecti (palmites) sunt et in supplicium ignis detrudendi, dies, inquam, illius severi et incorrupti iudicii: sed tunc castigatis (*παιδευομένοις* qui castigatione emendantur) mitem se praebet Deus. Nam qui talis est, non erit inter eos, qui iudicium et punitionem subibunt; quando quidem non infructuosus palmes exstitit ». Significat s. Doctor supplicio ignis et puniendos in aeternum malos, h. e. palmites recisos a vite, et corripiendos eos qui, licet non perfecti, infructuosi tamen palmites non fuerunt; sed cum hi non damnentur, castigatio per ignem erit temporaria.

Gregorius M. *Dial.* l. 4. c. 39. « De quibusdam levibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est ». Hunc autem ignem corporeum esse satis superius significavit c. 29. loquens de igne Inferni: « Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? Si incorporeus spiritus in hoc teneri potest quod vivificat, quare non poenaliter et ibi teneatur ubi mortificatur? ».

Colligimus, admodum probabile esse quod poena purgatorii sit ignis isque verus h. e. materialis: quomodo autem in animas agat, disputabimus inferius, ubi de igne Inferni disserendum erit.

6. Quaeres, quomodo ergo alitur ille ignis, sive quae est eius materia? Huic quoque quaestioni conabimur respondere, cum versabimur in Inferno. An aliae poenae mitioris generis purgent animas, notitiam certam Theologi non habent, non tamen negant fieri posse ut divina vindicta iis subinde contineatur.

7. Quamvis poena Purgatorii sit ignis, non tamen necesse est, ut omnes animas credamus eam subire; nam leves adeo esse possunt maculae, ut iis abstergendis vel tristitia sufficiat ex dilata beatitudine, aut alias ob causas fieri potest ut Deus hac sola poena dilatae beatitudinis sit contentus.

Si patiuntur animae, oportet eas esse invitas: ac si iustae sunt, divinae voluntati non adversantur. Scilicet, ut ait Suarez *de Poenit.* d. 46. sect. 3. n. 3., conformantur illae animae divinae voluntati in formali volito, non in materiali. Unde tristitiam concipiunt et pacato affectu tormentum sustinent.

8. Graviores esse poenas Purgatorii poenis huius vitae censent Theologi et iam id audivimus ab Augustino, cui consentit Gregorius M. in Psalm. 3^m^ poenitentialem, inquiens. « illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti existimo intolerabiliorem »; aliique quos citat Bellarminus l. 2. c. 14. Certe tristitia ex privatione beatitudinis quae tunc deberetur, videtur excedere quamlibet poenam

huius vitae; quia poena damni per se est maxima et tunc plenissime sentitur. s. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a. 2.

Quoad poenam sensus et praesertim ignis probatur Bellarmino sententia Bonaventurae, hoc pacto poenas Purgatorii maiores esse poenis huius vitae, quatenus maxima poena Purgatorii maior est maxima huius vitae, quocum componitur quod aliqua poena Purgatorii sit minor aliqua poena huius vitae. Id nihil habet incredibile aut alienum a sensu christiano, nec excessus omnis poenae in Purgatorio postulatur a debito ab iis animabus solvendo; satis est enim ut patiantur: cum praesertim quaedam animae tenuissimum debitum secum ferre possint, puta alicuius verbi otiosi. Ecclesia profecto nihil hac in re definivit nec ratio occurrit quae cogat credere, minorem poenam sensus in Purgatorio maiorem esse poena quavis huius vitae. Etsi enim in spiritu nudo maior sit, ut quidam dicunt, capacitas sentiendi poenam quam in spiritu corporato (quod quidem incredibile pluribus videbitur), non est tamen necesse, ut spiritus nudus in Purgatorio experiatur omnem poenam, cuius est capax. Suarez l. c. n. 7. hac in quaestione dubius haeret. Probabile est praeterea, poenas Purgatorii paulatim remitti, donec tandem desinant: id per se nulli certae veritati adversatur et congruit conditioni eorum qui quamvis non omnibus debitis fieri tamen potest ut pluribus satisfecerint: et sane debitum poenae, cum finitum sit, cur patiendo non minuetur etiam quod intensitatem?

§. 27. — Quamdiu producatur Purgatorii poena, definire non licet.

1. Nihil hac in re definire licet; nisi quod ultra diem iudicii supremi poenae non producentur. « Purgatorias poenas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium », ait Augustinus *de Civ. Dei* l. 21. c. 16. Et sane, auctore Paulo 2. Cor. V. 10. Rom. XIV. 10., ipsoque Christo Matth. XXV. 32. omnes homines ante illud tribunal Christi iudicandi se sistent, post sententiam vero iusti in vitam aeternam ibunt. Matth. ibid. 46. Nec refert, peccatis, quae purgatoriis poenis expiantur, corpus quoque cooperatum esse, ut idcirco videantur a corpore pariter illae esse tolerandae; id enim necesse non est. Cum enim auctor peccati sit anima, satis est ipsam unam puniri, quemadmodum puniuntur animae damnatorum ante iudicium; alioquin vero coniunctio corporis cum anima toto hoc tempore prohibetur lege universali maiorisque momenti, quae resurrectionem omnium simul futuram statuit in fine mundi. Nec est, cur conquerantur animae, solae sustinentes poenam; nisi enim velint carere visione Dei usque ad diem iudicii, oportet ut huic ordinationi acquiescant.

2. Quanto vero tempore puniatur quaelibet anima in Purgatorio, nescimus. Id enim pendet tum ex dignitate animae merentis poenam, tum ex huius gravitate, tum ex voluntate Dei acceptantis suffragia, quae nobis omnia impervia sunt. Quapropter nullo fundamento nititur sententia quam ex Dominico a Soto refert Bellarminus l. 2. c. 9., neminem scilicet in Purgatorio manere ad decem annos, eo quod poenae Purgatorii sint acerbiores poenis huius vitae, heic autem toleratis tanto tempore, imo etiam minore atrocibus poenis satisfacere Deo valeamus pro quovis debito. Verum id primo non est certum, nec certum est, singulas animas pati poenas atrociores poenis huius vitae, ut paulo ante monuimus: deinde heic est tempus misericordiae et merita obtinent, quae gratiorem faciunt hominem Deo; illic iustitia tantum locum habet nullumque meritum.

Praeterea consuetudo est in Ecclesia, ut anniversaria protrahantur nedum ad plures annos, sed ad plura secula, id autem ostendit censere Ecclesiam, quod contingere possit ut tandiu et amplius anima probetur in Purgatorio. Factum Ecclesia non affirmat, imo ostendit se ignorare; significat tamen se sentire, fieri posse, ut quam longissime producantur Purgatorii poenae.

Si enim illud saltem sciret, haud praeter certum tempus produci poenas, non exigeret relicta anniversaria indefinito tempore celebrari (cf. Divina Commedia *Purg.* 21, 67.-68. 22., 92. seq.).

Certum est autem, non omnes eodem modo eademque mensura puniri, cum idem non sit in omnibus reatus, ideoque plurimas exinde ante diem iudicii ad gaudia aeterna transiisse et transituras.

3. Quid ergo fiet de ultimis hominibus iustis si praesertim non moriantur? quomodo debitum poenae, quo teneantur, exsolvent? Nimirum purgabuntur eo igne, de quo audivimus loquentem Apostolum 1. Cor. III. 15.

Quomodo autem, etsi ea conflagratio in momento fiat (quod nemo scit), omnes purgentur, etsi in multis plurima sint purgabilia, explicat s. Thomas Suppl. q. 74. a 8. ad 5. « Tres sunt causae, quare subito illi, qui vivi reperientur, purgari poterunt: una est, quia in eis pauca purganda invenientur, cum terroribus et persecutionibus praecedentibus fuerint purgati: secunda causa est, quia et vivi et voluntarii poenam sustinebunt; poena autem in hac vita voluntarie suscepta multo plus purgat quam poena post mortem inflicta, sicut patet in martyribus... cum tamen martyrii poena sit brevis in comparatione ad poenam, quae in Purgatorio sustinetur: tertia est, quia calor ille recuperabit in intensitate quantum amittit in temporis brevitate ».

§. 28. — Non est putandum in Purgatorio pati animas a daemonibus.

1. Negandum esse censemus cum Scholasticis ; si de ordinario modo disputamus, quo animae illae poenis exercentur. Sane nihil est quod suadeat diabolicam hanc vexationem, quam neque innuunt Scripturae aut Patres. Dices, quemadmodum igne, ita daemonis opera Deum uti ad affligendas animas. At 1. haec opera daemonis necessaria non est; nam sufficit ignis. 2. Vexatio daemonis non decet animas iustas in Purgatorio exsistentes, etsi alicuius poenae adhuc debitrices. Etenim vexatio daemonis est vexatio inimici odio flagrantis in animas, qui odio eas prosequens in Purgatorio vexaret nec aliud ipse intenderet nisi ut crudelitatem odiumque saturaret; neque enim sperare potest eas peccaturas: at non decet animas, quae absoluta lucta victoriam de eo perennem reportarunt, adhuc inimici huiusmodi in ipsas saevientis odium et rabiem experiri, et quem penitus profligarunt sibique subiecerunt, adhuc sibi insultantem et veluti gloriantem pati.

Advertit Suarez *de Poenit.* d. 46. sect. 3. n. 10. daemones non esse ministros ad torquendas animas per actionem physicam; nam nec concurrunt cum igne, nec applicant ignem, hoc enim totum a Deo est, nec violenter eas detinent in igne, haec enim violentia inutilis est; cum ibi sint et maneant Deo volente maneantque sponte. Solum ergo videntur daemones illud posse, ut aspectu suo, conviciis et similibus actibus, mentalibus potius quam externis, eas affligant. At hae actiones non sunt consentaneae statui animarum iustarum, nec credo, ait Suarez, fieri posse ex imperio Dei, sed solum ex permissione. Si autem statui animarum in Purgatorio non est consentanea talis actio daemonis potius mentalis quam externa, multo minus erit consentanea actio physica immediata molesta in substantiam animae patientis, utpote magis indecora, quam actionem vocat Suarez externam.

Daemon tandem in altera vita reprobus est sicut ceteri damnati, quibus nullum commercium est cum sanctis: nullus est ergo ei suaeque perfidiae locus in Purgatorio.

Si quae vero privatae revelationes feruntur, quae carnificem daemonem in Purgatorium introducant, scimus haud opus esse iisdem adhibere fidem, quemadmodum nec adhibuit s. Thomas in 4. d. 20, a. 5.

§. 29. — Incertum est ubi animae purgentur.

1. Quaestio supponit animas purgandas simul in certum adunari locum: quod nec inter omnes convenit (§. 18.). Nihil sane hac in re, ut

ait Bellarminus l. 2. c. 6., Ecclesia definivit, ideoque multae sunt opiniones, quas videre licet penes eundem, quas inter quaedam sunt satis singulares, ut mirer identidem, nemini Scholasticorum venisse in mentem collocare Purgatorium in sphaera ignis, qua aerem ambiri credebant, cui opinioni faveret historia s. Fursei apud Bedam, relata a Bellarmino l. 2. c. 6.

2. Scholasticorum opinio est, Purgatorium esse locum subterraneum ipsique Inferno damnatorum vicinum. Quae sententia duo complectitur et animas purgandas simul congregatas aliquo in loco manere, atque hunc locum esse in visceribus terrae.

Quod spectat ad primum nulla difficultas est iis qui spiritus esse in loco putant, quatenus essentiam suam praesentem sistunt, quam sententiam probavimus *de Deo Creante* Th. 19., qui vero censent spiritus esse in loco quatenus in aliquod corpus activitatem exercent, explicare debent quomodo animae purgandae, si nihil ad extra agant, sint in aliquo loco. S. Thomas Suppl. q. 69. a. 1. ad 1[m] respondet « quod incorporalia (h. e. animae) non sunt in loco modo aliquo nobis noto et consueto, secundum quod dicimus corpora proprie in loco esse: sunt tamen in loco modo substantiis spiritualibus convenienti, qui nobis plane manifestus esse non potest ». At in Summa docuit l. p. q. 52. a. 1. Angelos esse in loco dum operantur, per contactum virtutis. Verum si exinde inferre velis, spiritus *nusquam* esse nisi alicubi operentur per actionem ad extra, consequens erit, animas, quae purgantur, imo animas beatas, quae in sola Dei visione et fruitione occupantur, *nullibi* esse. Quid ergo est quod idem s. Thomas loquitur de diversis *receptaculis* animarum post mortem. *Suppl.* q. 69. a. 1. et dicit daemones esse in igne et detineri ab igne? ibid. q. 70. a. 3. Scilicet spiritibus quoque aliud est esse *alicubi* et aliud esse *in loco*. In loco spiritus est, non circumscriptive sed definitive, cum toti spatio alicui reali extenso praesentiam suam exhibet, quod contingere potest cum ibi operatur: alicubi autem, cum est, simplici quoque modo exsistens, in spatio vel puncto spatii possibilis sive ubi spatium reale possibile est. Ceterum, si spiritus est in loco ubi operatur, cur non erit in loco ubi patitur? Contactus enim quidam semper adest utraque in hypothesi inter corpus et spiritum. Sane « res corporea, ait s. Thomas l. altero citato, ex sua natura habet, quod spiritum incorporeum loco definiat ». Concedamus ergo animas purgandas alicubi esse, imo, etsi nihil ad extra operentur, aliquo in loco esse posse, quod sensus communis habet.

3. Quaeritur itaque, an animae purgandae simul sint in aliquo loco et ubi sit iste locus. Sententia Scholae communior est, animas pur-

gandas congregari simul in locum quendam, ut iam monuimus, eum autem volunt esse subterraneum, cui loco nomen proinde fit Purgatorii. Cf. Thomam *Suppl.* q. 69. a. 1. Suarez *de Poenit.* d. 45. sect. 2. Bellarm. *de Purgat.* l. 2. c. 6. Quod non ita accipiendum, ut omnes prorsus animae, quae purgatione indigent, eo conveniant semperque ibi maneant; facile enim conceditur, aliquas ex speciali Dei providentia alibi detineri posse, comitante eas quoque, si opus est, igne, atque identidem inde exire, ut viventibus se praebeant conspiciendas. Generalis scilicet lex intelligitur a Deo statuta, quae exceptiones patitur, ut in eo loco subterraneo animae detineantur.

Ratio probabilior, qua id suadetur, ea est quae ducitur a simili. Nam animae iustorum ante Christi mortem in inferis detinebantur; etenim anima Christi, qui in omnibus voluit nobis assimilari, citra peccatum, *Descendit ad inferos*, ut mox dicemus §. seq., at si in inferis morabantur animae sanctorum purgatae, aequum est arbitrari ibidem quoque, etsi in loco dispari, animas purgandas habitare. Veterum Hebraeorum fides erat, se post mortem ad שְׁאוֹל quod *οἱ ὁ* reddunt ᾅδης ituros, h. e. ad quaedam inferiora loca terrae. Gen. XLII. 38. Num. XVI. 30. Psal. XXX. 4. Isai. XIV. 9. q. seqq. Prov. XXIII. 14. etc. ipsaque Ecclesia orans pro defunctis ait « Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de poenis *inferni* et de *profundo lacu* ». Ergo admodum probabilis est haec Scholasticorum opinio, quam fidelium consensus sponte amplectitur. Ulteriores hac de re quaestiones inutiles esse, facile quisque intelligit.

§. 30. — Verbis Petri I. epist. III. 18. 20. non cogimur credere animam Christi, cum descendit ad Inferos, adiisse animas reprobas.

1. Quaestio proponitur ob locum quendam obscurum sane epist. I^ae^ Petri III. 18.-20. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his qui in carcere* (ἐν φυλακῇ) *erant spiritibus veniens* (πορευθεὶς) *praedicavit* (ἐκήρυξεν), *qui increduli fuerant aliquando* (ἀπειθήσασίν ποτε), *quando exspectabant Dei patientiam* (gr. contra ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία) *in diebus Noe, cum fabricaretur arca.*

Christi animam *descendisse ad inferos* seu *inferna* constat ex vetusto Symbolo dicto Apostolico, quamvis non in omnibus ecclesiis antiquitus hunc articulum forma Symboli praeferret: constat ex Symbolo athanasiano: constat ex verbis ipsius Christi Matth. XII. 40. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Fi-*

lius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Cor enim terrae ἡ καρδία τῆς γῆς significat Hebraeis, interiora, profunda; cor scilicet metaphorice valet mediam rei partem, interiora, penetralia: quocirca cor terrae nequit accipi de sepulcro, quod in superficie exstat.

In cor proinde seu in inferiores partes terrae Christus secundum animam descendit, ut Apostolus loquitur Eph. IV. 9. et Petrus Act. II. 24. 27. significavit. Hoc posito:

2. Quaeritur, an hanc, qualiscumque sit, praedicationem referat Petrus ad tempus mortis ante resurrectionem, an post resurrectionem? Cum Christus descenderit, secundum animam, ad inferos statim post mortem, videtur huic tempori alliganda haec praedicatio. Nihilominus verba Petri aliud forte suadent. Ait: *Christus mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu:* spiritus heic est Dei virtus, quae ipsum, seu qua se ipsum suscitavit a mortuis, qua rursus est vivificatus cf. Act. II. 31.: vivificatus ergo spiritu, per hunc ipsum spiritum ἐν ᾧ veniens praedicavit etc. scilicet vivificatus per hunc spiritum venit; ergo praedicavit postquam vivificatus resurrexit. Verum id reapse non dicit Petrus. Ipse ait quidem quod eo spiritu quo Christus vivificatus fuit, eodem ivit ad spiritus qui erant in carcere, sed non dicit quod vivificatus iverit. Spiritui Dei asserit Petrus tum resurrectionem Christi tum descensum eius ad inferos; resurrectionis autem seu vivificationis prius meminit, propter nexum oppositionis cum morte, cuius mentionem fecerat: *mortificatus carne.* Cum itaque certum sit, animam Christi, utique in spiritu Dei, descendisse post mortem ad inferos, credibile est, Petrum ad hunc descensum intendisse animum, cum loqueretur de adventu Christi ad spiritus qui in carcere erant.

3. Quaeritur, quales sint isti spiritus? Hi non sunt daemones, sed humani spiritus h. e. animae; sunt enim illi, qui aliquando increduli fuerunt in diebus Noe; atque in hoc nulla est difficultas. Adde, Petrum cap. seq. connectere haec duo, tanquam alterum ex altero consequens, Christum iudicem esse nedum vivorum sed et mortuorum atque mortuis esse evangelizatum vv. 5. 6.: spiritus ergo, quibus paulo ante dixerat evangelizatum esse, sunt spiritus mortuorum, h. e. animae.

4. Quaeritur, quaenam sint istae animae, ad quas Christus dicitur advenisse? Verba Petri hac in re clara sunt. Sunt animae eorum, qui in diebus Noe aliquando increduli fuerunt. Ubi advertatur, non dicere Petrum, quod hi in incredulitate defuncti sint, seu quod semper increduli fuerint, imo id potius implicite excludere; dicuntur enim hi *in diebus Noe* fuisse increduli *aliquando*, nec fuisse incredulos, cum diluvium venit, sed cum fabricaretur arca, quod fuit opus plurium annorum. Mentio praeterea divinae patientiae, quae praestolabatur (sic

enim legimus cum gr.) quos autem nisi illos incredulos? ideo forte facta est, quia in illis incredulis id assecuta est divina patientia quod intendebat. Quocirca nihil est, quod nos cogat credere, hos homines mortuos fuisse in statu peccati.

5. Quaeritur, an ad hos spiritus tantum Christus ivit et praedicavit?

Cum locus sit difficilis, oportet admodum ita cautos incedere, ut nihil de nostro penu in illum inferamus. Iam vero in verbis Petri nullum est indicium sensus exclusivi: ergo nullo iure acciperemus haec dicta exclusive, aliquid addentes, quod non dicit Petrus. Et sane si Christus ad inferos descendit eo quod animae hominum mortuorum illuc pergebant, descenderit certe in sinum Abrahae, ideoque ad alios quoque ivit praeterquam ad illos aequales Noe.

6. Quaeritur, cur ergo Petrus horum tantum mentionem faciat?

Respondemus simpliciter, nos huius rei nullam certam rationem reddere posse. Sciverit ipse Petrus, qui tamen id nobis noluit indicare. Coniecturis utique potest esse locus. Forte, ut monet Alapide in h. l., iam Petri animo obversabatur baptismus, de quo volens is aliquid dicere, memoria repetiit eius typum, purgationem mundi per aquam, quacum conserta erat cogitatio de iis, qui tunc temporis increduli fuerunt, atque hos disserte nominavit. Forte Petri aetate opiniones variae obtinebant de salute aeterna omnium eorum qui diluvio perierunt, ut censuerit Petrus illorum speciatim facere mentionem, cf. Bellarm. l. 4. de Christo c. 13. Sed praestat ignorantiam fateri, quam vanas aucupari coniecturas.

7. Quaeritur quo in loco erant animae istorum?

Dicuntur fuisse *in carcere* ἐν φυλακῇ in custodia, qua appellatione tum sinus Abrahae, tum Purgatorium significari potest.

Probabile est iam tandem fuisse purgatas ut tunc in sinu Abrahae quiescerent: verum nec absurda erit opinio, quod adhuc purgarentur, adventumque Christi finem imposuisse eorum poenae et aliorum quoque qui cum ipsis forent, ut propter Christi sanguinem recens effusum, plenissima indulgentia omnibus iustis impertiretur.

8. Quid ergo Christus his praedicavit?

Petrus simpliciter ait ἐκήρυξεν, quod est *annuntiavit, notum fecit, praedicavit;* quid vero annuntiaverit Christus, Petrus non dicit, id relinquens lectori cogitandum. Sed paulo post inquiens *mortuis evangelizatum esse,* intelligimus *bonum nuntium* fuisse a Christo animabus allatum, nuntium scilicet peractae redemptionis, ut tempus tandem advenerit percipiendae mercedis fruendaeque beatitudinis, ad quam

illas Christus tanquam iudex supremus sententiam iam latam confirmans, peramanter admisit.

9. Adverte, non unam esse sententiam veterum de hac Christi praedicatione apud inferos eiusque effectu. Hieronymus in epist. ad Ephes. c. IV. 10. ait: « Neque enim scire possumus quomodo et Angelis et his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, et tamen quin profuerit nescire non possumus ». Ubi Angeli non sunt daemones, atque hi qui in inferno sunt non est opus accipere damnatos. Nazianzenus *Or.* 45. 24. « Ea mysteria cognosce, quae Christus illic (in inferno) gessit... utrum omnes sine ulla exceptione adventu suo salvos fecerit, an illic quoque dumtaxat qui crediderunt », qui crediderunt nempe Christo praedicanti apud inferos. Cyrillus Alex. in Epist. 1.ª 6. Petri III. 19. « Hoc est, *et eis, qui in inferno praedicavit*, ut omnes solveret quotquot in eum credidissent, si eorum tempore caro factus conversatus esset; hi enim eum vel in inferno prorsus agnoverunt... Ad inferos descendens illos qui crediderunt eumque agnoverunt, a mortis vinculis liberavit ». Negat liberasse idololatras, libidinosos, similisque furfuris. Consentit Cyrillo Oecumenius in eundem locum Petri. Videtur Cyrillus ad eos respicere qui heic iusti vixerint ac sine ulla peccati labe, destituti, absque culpa, fide in Christum, hinc excesserint.

Augustinus *de Gen. ad litt.* 12. c. 33. « Christi quidem animam venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret a tormentis, quos esse solvendos, occulta nobis, sua iustitia iudicabat, non immerito creditur » et provocat ad verba Act. II. 24. *solutis doloribus inferni.* At peccatores, qui cruciantur, non immerito accipimus qui in Purgatorio purgantur. Inter haereses sane recenset *de Heres.* 79. sententiam quae « descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos et omnes existimat exinde liberatos ». Irenaeus l. 4. c. 45. ait Christum « descendisse in ea, quae sunt sub terra et evangelizasse remissam peccatorum exsistentem iis, qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes, qui sperabant in eum, idest qui adventum eius praenuntiaverant, iusti et patriarchae et prophetae, quibus, similiter ut nobis, remisit peccata ».

S. Gregorius M. l. 7. epist. 15. improbat eos qui dicebant, Dominum Iesum ad inferos descendentem, omnes, qui illic confiterentur eum Deum, salvasse et a poenis debitis liberasse. Argumentis contra prolatis concludit: « Christus descendens ad inferos, eos solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt et praecepta eius vivendo tenuerunt ». Philastrius *de Haer.* 125. haereticis accenset qui dicebant Christum cum ad inferos descenderit « omnibus praedicasse, ut confitentes ibidem salvarentur ». Damascenus *de Fide* 3. 29.

ait Christum, quemadmodum in terris degens, iis qui crediderant salutis auctor exstitit, incredulos autem infidelitatis arguit, ita et apud inferos se gessisse, ut Ipsi omne genu flecteretur etc.

Singularis est sententia Hermae, quem secutus est Clemens Alex. *Strom.* 6. 6. Pastor enim Simil. 9. c. 16. dicit, et Apostolos quoque descendisse. « Apostoli et Doctores, qui nomen filii Dei praedicarunt, postquam dormierunt in potestate et fide filii Dei, iis quoque praedicaverunt, qui ante dormierant ». Hippolytus *de Antich.* c. 45. id de Ioanne Baptista quoque affirmat, cui consentit Evangelium Nicodemi p. 2. c. 2.

§. 31. — Animae in Purgatorio exsistentes suffragiis viventium iuvantur.

1. Id iam satis effecimus §. 19.; exsistere enim Purgatorium demonstravimus iis testimoniis Script. (2. Machab.) et Patrum, quae directe ostendunt, sacrificia, preces aliaque pia opera exhibenda esse Deo pro defunctis. Haec ergo recolere satis erit; utrumque enim dogma nimis connexum est. Inter fragmenta Cyrilli Alex. (Migne P. G. V. 76. p. 1423. seq.) exstat fragm. *adversus eos qui negant offerendum esse pro defunctis.* Idque probat, quia animae defunctorum adhuc vivunt Deo: si autem in hac vita quis per alterius fidem sanatur, ut per fidem centurionis eius puer Matth. VIII. 6.-15., cur et animae defunctorum per opera nostra non consequentur misericordiam? Hinc calumniatores arguens ait: « quid igitur nobis avaritiam et lucri cupiditatem exprobratis rerum similium ignari, qui supernam clementiam in fide defunctis conciliare nitimur et sacrum pro illis ac mysticum sacrificium offerimus? » Argumentum scilicet tangit, quo utilitas nostrorum suffragiorum pro defunctis demonstratur, nimirum *communio sanctorum.* Hic est articulus fidei, qui licet in vetustissimis formis Symboli, ut dicitur, Apostolorum non occurrat, occurrit tamen in forma iam a pluribus seculis in Ecclesia communi: cf. H. Denzinger *Enchiridion* etc. ab initio.

2. Hanc doctrinam exhibet Apostolus 1. Cor. XII. 12. seqq. ex quo loco id merito colligimus, Christum caput esse, cuius corpus est *unum*, ut idcirco membra *omnia*, quae sub hoc capite sunt, *unum* constituant corpus, omnia se invicem foveant mutuoque prosequantur honore. Porro membra sub hoc capite non sunt tantum fideles et iusti in terris, sed et omnes iusti in altera vita, qui ampliorem imo influxum ab hoc capite recipiunt, tenaciusque cum eo sunt coniuncti: ergo sibi invicem sunt membra tum fideles in hac vita tum iusti in altera. Hinc

qui sunt Ecclesiae in terris membra dicuntur *accessisse ad civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem multorumque millium Angelorum frequentiam* Hebr. XII. 22. *nostramque conversationem* (πολίτευμα ius civitatis seu civitas) *esse in caelis* Philipp. III. 20. Igitur una Ecclesia est, unum corpus coalescens ex fidelibus peregrinantibus in hac mortali vita et iustis in altera vita. Atqui communio exsistit inter membra omnia et singula unius corporis et *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum congaudent omnia membra:* sunt enim *corpus Christi et membra de membro* (μέλη ἐκ μέρους membra *ex parte*, pro loco scilicet quem tenent et pro dono quo propter illum sunt instructi cf. Cornely in h. l.) 1. Cor. XII. 26. seq.

Itaque ex divina institutione est, quod quicumque sunt in hoc corpore Christi se diligant, se mutuo, quoad opus est, iuvent eoque, quem conditio cuiuslibet exigit, prosequantur honore. Porro ex hoc consequitur, probare Deum, quod fideles viventes suffragiis suis iuvent animas in Purgatorio exsistentes. Constat enim, satisfactionem pro alio offerri posse eamque a Deo acceptari (cf. quae in *Op. Mor.* vol. 5. dedimus *de Suffragiis*): at si Deus acceptat pro viventibus nobiscum, multo magis acceptabit pro animabus iustis defunctorum; ratio enim cur satisfactiones oblatas pro aliis acceptat, est quia sunt invicem membra, et vult ut ea se gerant alterum erga alterum tanquam membra unius corporis; atqui animae in Purgatorio exsistentes sunt membra huius corporis et quidem praestantiora viventibus magisque Deo cara: ergo divina ordinatio, quae omnes qui sunt Christi in unum coagmentat corpus, huc quoque spectat, ut iustorum animae purgatorio igni addictae viventium suffragiis iuventur.

3. Cum plurima sint opera satisfactoria, quae offerre licet pro defunctis, sacrificium, ieiunium, eleemosyna et generatim quodlibet opus poenale, ideoque et oratio, quaeritur an haec, nedum prout satisfactoria eo quod poenalis, sed simpliciter prout est *petitio* et idcirco *impetratoria*, iuvet animas defunctorum? Bellarminus absque dubitatione id affirmat l. 2. c. 16., nec argumenta desunt. Sane beati orant pro animabus Purgatorii, quod testatur Ecclesia in oratione Missae pro defunctis: *beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis:* atqui sancti meram petitionem exhibent absque satisfactione, cuius non sunt capaces; ergo oratio per se sufficit ad hunc effectum: ergo et oratio iustorum viventium, quae specie non differt ab oratione beatorum. Praeterea inter opera, quae defunctis prosunt, ut sunt eleemosyna et ieiunium, connumeratur seorsim oratio; atqui si oratio solum valeret prout est opus poenale et satisfactorium,

causa non erat, cur ab operibus poenalibus secerneretur: spectatur ergo secundum id quod habet proprium, nempe prout est impetratoria. Tandem nonne Christus dixit: *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* Ioan. XVI. 23. *et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis* Matth. XXI. 22.? Atque haec videtur esse sententia s. Thomae in 4. d. 45. q. 2. ubi distincta oratione a ieiunio, eleemosyna ac sacrificio, tribuit orationi vim iuvandi animas spectatae *secundum suam rationem,* qua dicit respectum non solum ad orantem, qua in re convenit cum ceteris operibus, sed quatenus directius dicit respectum ad illum pro quo oratur, quatenus scilicet est impetratoria; quia, ut ait, illa opera praecipue nata sunt mortuis suffragari, quae maxime ad communionem caritatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum.

4. Haec sententia, ait Suarez *De Poenit.* d. 48. sect. 5. n. 5., est pia et probabilis et fortasse vera, nihilominus in contrariam ipse concedit. Nam secundum legem Dei ordinariam nemo impetrat sibi remissionem poenae; lex enim Dei est, ut peccator poenam subeat: multo ergo minus impetrabit pro aliis; nam oratio efficacior est pro se quam pro aliis. Sancti vero utique orant pro animabus Purgatorii; sed exinde non est consequens, eos impetrare immediate remissionem poenae: impetrare sane possunt ut a viventibus suffragia pro illis offerantur et a Deo applicentur, impetrare quoque possunt, ut opera poenalia a se, dum heic viverent, exercita, quae nondum sortita sunt effectum aut plenum effectum, applicentur huic vel illi animae in satisfactionem.

Item oratio distinguitur ab aliis operibus, quibus iuvamus animas defunctorum, sed simul inter opera satisfactoria recensetur, ideoque spectatur simul ut est satisfactoria; distinguitur vero quatenus habet aliquid speciale, est nempe simul impetratoria, non tamen oportet ut ex se impetret remissionem poenae, sed impetrare potest acceptationem satisfactionis a se vel ab alio oblatae.

Porro promissiones Christi quoad efficaciam orationis supponunt id peti quod secundum Dei legem impetrari potest: quemadmodum ergo frustra peteretur liberatio alicuius damnati, ita frustra quis vellet sola impetratione consequi remissionem poenae. S. Thomas autem l. c. non dicit, orationem prodesse defunctis vel ex eo solum quod est impetratoria, sed rationem reddit, cur distinguatur ab aliis operibus, quia nempe ipsa impetrat ut satisfactio applicetur, quod aliis operibus per se non competit.

Verum nonne Ecclesia orat pro defunctis quin simul satisfactiones offerat? Respondet Suarez, Ecclesiam suis orationibus impetrare tum, quemadmodum impetrant beati, ut suffragia pro defunctis fiant, iis-

demque a Deo applicentur, tum ut suarum ipsarum orationum valor satisfactorius illis applicetur. S. Thomas in 4. d. 45. q. 3. a. 3. ad 6. docet: « suffragia Ecclesiae sunt pro defunctis quaedam satisfactiones viventium vice mortuorum, et secundum hoc mortuos a poena absolvunt, quam non solverunt ». Orationes scilicet Ecclesiae sunt satisfactivae, ut explicat Suarez, non tantum impetrativae. Neque aliud (quod advertendum est) Ecclesia ex se praestare potest: satisfactiones positae in aliis operibus vere et pressius afflictivis, a singulis fidelibus praestandae sunt: sed, quod dolendum est, generatim fideles precibus solent esse contenti.

Ceterum si qua oratio mortalium valet ad impetrandam remissionem poenae, id orationi Ecclesiae praecipue asserendum esset; decet enim Christum suae sponsae exaudire preces et matrem pro filiis exorantem, quos ipsa Christo peperit, non dimittere inanem.

5. Illud autem est advertendum, quod, etsi prior sententia de efficacia impetrationis adoptetur, non licet arbitrari, orationem *cuiuscumque iusti* multoque minus orationem *semper* parem esse huic effectui obtinendo; si enim id contingeret, tanquam quid supervacaneum vel inutile censenda forent opera poenalia seu satisfactiones atque indulgentiae: hoc autem sensui communi Ecclesiae prorsus contradicit. Unde consequitur, priorem sententiam non esse admodum practicam, neque idcirco, cum certa haud sit, esse fidelibus suadendam.

§. 32. — Ritus condendis cadaveribus in Ecclesia usitati, dum sunt solatia vivorum, sunt etiam, si sancte fiant, subsidia mortuorum.

1. Non sermo est de precibus, psalmodia, liturgia, horumque iteratione, de suffragiis nimirum, quae ex Ecclesiae institutione iterato etiam adhibentur defunctis; haec enim, ut vidimus, rectissime fiunt: sed de pompa exsequiarum, de elatione et vectatione cadaveris, procedentibus ministris cum cereis et cantu, de statis diebus funeri celebrando, praeter diem obitus, die tertia, septima, trigesima; de sepulcrorum ornatu et de sepultura in loco sacro.

De his loquens Augustinus *de Cura pro mortuis* n. 4. ait: « ista omnia, idest curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exsequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum ». Sane sunt vivorum solatia; qui dolorem ex amissione cari capitis his significationibus sublevant amoris honorisque, eiusque invisentes monumentum, cum illum deflent, non eum a se penitus avulsum existimant. Atque haec omnia, si ex naturali tantum affectu fiant, non sunt mortuorum

subsidia, qui ab humana societate extorres nihil sentiunt nec ullam ex his voluptatem, quocumque in loco sint, capere possunt.

2. At si pompa exsequiarum, monumenti quoque constructio, sancte h. e. recto fine intento secundum fidem fiant, dum viventibus consolationem afferunt, prosunt una defunctis.

Et prosunt certe mediate, quatenus monent fideles ut pro defuncto orent et suffragia impendant, prosunt quoque immediate, quatenus erogatae expensae sunt eleemosynarum loco, quae ad suffragandum valent, atque sollemnitas, qua augentur et illustriores fiunt tum Ecclesiae preces, tum ecclesiastica sepultura, ex his ipsis precibus et condendi ritu, quibus ea sollemnitas copulatur, sanctitatem ac meritum apud Deum mutuatur unaque proinde cum illis confert ad utilitatem defuncti.

3. Quod spectat ad statos dies 3^{m}. 7^{m}. 30^{m}. quibus funus iteratur, si consideras simplicem iterationem, habes cumulata suffragia, quod merito fit; non enim satis est orasse semel: si vero quaeras cur iis diebus et non aliis funus iteretur, id certe non fit ex aliqua ratione petita a rerum naturis, sed cum aliqui dies statim a morte, ut uberioribus suffragiis defunctus iuvaretur, determinandi essent, integrum fuit Ecclesiae eos statuere dies, qui vel commodiores viderentur, vel etiam propter quendam sensum mysticum praestarent. Quo posito si quis in Ecclesiae obsequium eos et non alios celebrat dies, opus bonum Deoque acceptum facit, quod in defuncti suffragium conferre potest.

4. Tandem sepultura in loco sacro praesertim in basilicis sanctorum, si ex fide fiat, iam actus est pius, quo defunctus Sanctis commendatur, qui pro eodem exorent idemque eorum iuvatur precibus, qui locum sacrum conveniunt Deum adoraturi, atque praesertim perenni oblatione sacrificii ibidem peracta. Cf. librum citatum s. Augustini et Bellarminum l. 2. c. ult.

ALTER D. N. I. CHRISTI ADVENTUS ET IUDICIUM UNIVERSALE

Plura heic sunt tractanda, iudicium ultimum universale, resurrectio mortuorum, signa praecedentia, initio ducto a quaestione: an genus humanum in terris sit aliquando cessaturum.

§. 33. — Propagatio humani generis in terris finem aliquando est habitura.

1. Humanum genus intelligimus familiam Adami, hanc cessaturam aliquando dicimus: utrum vero deinceps alii homines ex alio stipite, Deo creante, orti tellurem hanc sint habitaturi, quaestio est, quae huc non pertinet.

De consummatione seculi sermo est in Evangeliis, Matth. XXIV. 3. interrogant Christum discipuli; *quod signum adventus tui et consummationis seculi τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος?* Christus summatim expositis quae antevertere debent, subdit: *et tunc veniet consummatio τὸ τέλος* nempe seculi. Item ibid. XIII. 40. explicata parabola zizaniorum, ait: *messis* consummatio seculi est *συντελεία τοῦ αἰῶνος:* rursus ibid. 49. post aliam parabolam: *sic erit in consummatione seculi ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος.* Atque ibid. XXVIII. 20. promittit Apostolis se cum iis futurum *usque ad consummationem seculi ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.*

2. *Αἰών* scilicet, quod est seculum, tempus, vita, aliquando compleri, absolvi, desinere debet, non quidem simpliciter et absolute; moles enim creata caeli et terrae nunquam redigetur in nihilum, sed respectu illorum, ad quos Scriptura loquitur, homines nimirum: atqui id contingere nequit nisi desinente tandem propagatione humani generis, ut nullus amplius ex mortalibus supersit super terram; quandiu enim homines gignuntur, seculum perdurat: scilicet consummatio seculi ipsa est consummatio generis humani.

Ponimus consummationem seculi dici respectu illorum ad quos Scriptura loquitur, respectu hominum videlicet, quorum tempus, vita aliquando in his terris desinet.

Ratio est, quia secus nullum sensum funderet in locis citatis haec phrasis *ἡ συντελεία τοῦ αἰῶνος.* Aliquid enim desiturum esse manifestum est: sed non desinente humano genere, quid est tandem quod aliquando cessabit? Non caelum et terra, quae Scriptura renovanda non destruenda esse docet, non animalia et plantae in terris, quae hominibus alendis necessaria sunt quaeque desinere nequeunt nisi desinentibus hominibus in quorum utilitatem condita sunt: quo ergo redit

haec emphatica locutio *ἡ συντελεία τοῦ αἰῶνος?* Si autem eam coarctas ad eos, ad quos et pro quibus Scriptura loquitur, res clara est atque ita factum est, ut obvius hic esse sensus eorum verborum omnibus statim appareat.

3. In epist. ad Hebr. IX. 26. dicitur Christus *semel oblatus in consummatione seculorum ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων,* cum completa essent tempora.

De re praeterita agitur eaque phrasis aequivalet alteri magis frequentatae, *in plenitudine temporum*, cum nempe transacta sunt tempora quae praeparandae humanae redemptioni Deus praefinierat. Ea phrasi Apostoli finis aliquis temporum humanarumque generationum significatur, sed relative ad certum eventum, nempe sacrificium crucis: in locis vero iam citatis sermo est de re futura absque ulla determinatione, *in consummatione seculi;* simpliciter ergo genus humanum desiturum significatur.

Sub nomine utique *seculi* haud raro in Scripturis veniunt homines, et quidem sub quadam speciali ratione, prout nimirum corruptae naturae dictamina sequuntur. Rom. XII. 2. *Nolite conformari huic seculo* 1. Cor. I. 20. *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* II. 6. *Sapientiam loquimur.... non huius seculi neque principum huius seculi qui destruuntur.* 2. Cor. IV. 4. *Deus huius seculi excaecavit mentes infidelium.* Argues idcirco, consummationem seculi non esse nisi desitionem malorum hominum, succedente in terris regno sanctorum. Verum *a)* quoniam novimus malos semper bonis futuros admixtos et vicissim, deficientibus malis consequens erit et bonos, ideoque omnes homines defecturos. *b)* Cum nomine seculi homines mali significantur, id ex contextu, ex oppositione nempe instituta vel subintellecta cum doctrina Christi colligitur: at cum haec adiuncta desunt, non est cur potius malos quam bonos homines intelligas, sed omnes intelligendi sunt.

4. Idem nos docet Apostolus 1ª Cor. XV. 24.-26. ubi, doctrina tradita de universali resurrectione, subdit: *deinde finis, cum tradiderit* (Christus) *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem: oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius: novissima autem inimica destruetur mors.*

Cum sermo sit de regno Christi desituro, nequit esse sermo de regno quod ei competit ratione creationis, sed de regno quod ei competit ratione incarnationis et redemptionis, quod ipse tanquam homo obtinuit a Patre. Psalm. II. 6. 8. *Ego autem constitutus sum rex ab eo... Dominus dixit ad me... postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Matth. XXVIII. 18.

Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Porro finis erit, ait Apostolus, cum Christus regnum tradet Deo Patri suo, scilicet, quemadmodum belli dux, re feliciter gesta, hostibusque subiectis, imperium regi suo tradit, profitens opus sibi demandatum ad felicem exitum esse perductum, sic Christus, destructis adversariis, imperium, quo est usus, remittet Patri: « tunc regnum Christi, quatenus est militans, finem habebit, potestatem, qua ad regnum suum in terris fundandum et augendum, suos adiuvans et corroborans, adversarios impugnans et destruens, usus est, Christus non amplius exercebit; ac in sua unitate cum Patre et S. Spiritu caput erit Ecclesiae glorificatae et tunc Deus erit omnia in omnibus » (Cornely Comm. in hanc epist. in h. l.). At si regnum Christi in terris aliquando desiturum est, dicendum est, desiturum esse quoque humanum genus; quandiu enim homines erunt, oportet illum super ipsos regnare, cum rex eorum fuerit constitutus. Et sane omnes homines ex Adamo mortales sunt, ut quandiu ipsi vivunt, necesse sit mortem regnare Rom. V. 14.; morte ergo profligata cessabit mortale humanum genus.

Itaque certum est, propagationem humani generis aliquando cessaturam.

§. 34. — Etsi mundi moles permansura sit, caeli tamen et terra innovabuntur.

1. Cum caelum et terram dicimus, utentes phrasi Scripturarum, intelligimus terram quidem, quam incolimus, caelum vero firmamentum, Gen. I. 8. aera scilicet; ut de his tantum sermo sit, quae hominis habitationem attingunt.

Scripturae docent, lustrationem quandam seu purgationem futuram horum locorum quae ab habitatoribus suis tandiu vitiata sunt, ut, cessante humano genere, innovanda sint, restituta in pristinam munditiam et pulcritudinem, in qua condita fuerunt. Innovatio eo profecto spectat, ut res primitivum decorem obtineat, quem gessit ab initio. Labes immunditiae, quae inhaesit, inhaeret et inhaerebit usque in finem tot substantiis materialibus, quae nos circumstant in eo est sita, quod adhibita ab homine ad malum finem instrumenta toties fuerint divinae offensionis, coacta servire peccato, a qua servitute tandem liberabuntur.

2. Immunditia haec, de qua loquimur, non est, ut per se patet, physica, sed macula quaedam legalis et quidem in oculis Dei, spectatis tamen creaturis cum relatione ad homines, qui eis sunt usi: quatenus Deo non probatur usus creaturarum praeter et contra eum finem, propter quem concessae sunt homini. Itaque novitas caeli et

terrae eo redire dicenda est, ut materiales istae naturae pristinum decorem, vigoremque ac perfectionem recuperent, atque liberentur a servitute peccati.

3. Testis huius rei est Apostolus Rom. VIII. 19. seqq. *Exspectatio* (*ἀποκαραδοκία* exporrecto capite intentisque oculis cupida observatio) *creaturae revelationem filiorum Dei exspectat* (*ἀπεκδέχεται* assidue et constanter exspectat). *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Iam vero *creatura ἡ κτίσις* heic non est quidquid creatum est, sed res omnes spectabiles huius mundi seu telluris intelligentia carentes: non enim sunt Angeli, qui vanitati non subiiciuntur, non homines, qui, prout filii Dei, creaturae opponuntur, prout mali sunt, non exspectant revelationem filiorum Dei: an de dissitis molibus corporum, astris videlicet loquatur Apostolus dubitare licet: certum igitur est loqui de substantiis materialibus mundi nostri, quin excludantur plantae et animalia. Omnis autem haec *κτίσις* est subiecta *vanitati τῇ ματαιότητι*, hanc vero optime interpretaris vana, et inania imo prava et perversa hominis studia, quibus creaturae post Adami lapsum inservire coguntur. Et servit creatura *non volens* seu invita, quatenus cuilibet naturae repugnat adhiberi contra eum finem ad quem creata est. Porro Apostolus hanc creaturam tanquam personam repraesentat, quae avidissime praestolatur revelationem filiorum Dei, diem nempe quo iusti plenam suam gloriam adepti, animae nempe et corporis, omnibus tanquam filii Dei manifesti fient. Praestolatur porro hunc diem, ut *liberetur a servitute corruptionis et asseratur in libertatem gloriae filiorum Dei*, h. e. in eam libertatem, quam gloria filiorum Dei secum afferet creaturae. Scimus sane, *οἴδαμεν*, unde nisi ex revelatione? quod hactenus omnis *creatura ingemiscit et dolores partus experitur*, scilicet parienti in dolore similis futuram laetitiam exspectat, quae partum editum consequitur (Ioan. XVI. 21.).

Habes ergo ex his verbis Apostoli creaturas materiales liberandas esse in fine mundi a servitute peccati restitutas in eam libertatem, cuius potiebantur ante peccatum. Cf. Cornely *Comm. in epist. ad Rom.* ad h. l. et Ioseph. Bautz. *Weltgericht u. Weltende* §. 20. n. 4.

4. Purgationem terrae caelique aerei faciendam esse per ignem significat Petrus 2ª epist. III. 10. seqq. *Adveniet dies Domini sicut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.*

... *Exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem*

(diem) coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Hoc igne et eos, qui tunc vivent, poenae alicuius debitores, purgatum iri, docet Apostolus 1. Cor. III. 13. cf. dicta §. 7.

Iam vero subdit Petrus v. 13. futuros caelos novos et terram novam, nosque ea exspectare secundum promissa Domini. Si caeli novi et terra nova promittuntur, finis ergo ultionis non erit desolatio, sed purgatio et restitutio in meliorem statum. Cur vero nos haec exspectamus? Nimirum regnum caelorum quod initium sumpsit a primo adventu Domini et complementum accipiet in altero, tunc reapse complebitur cum purgatis atque innovatis caelis ac terra Dominus iudicaturus adveniet, sibique omnes sanctos revocatos ad vitam immortalem congregabit adducendos secum in aeternam beatitatem. Quemadmodum ergo iusti omnes hunc laetissimum diem exspectant absolutissimi regni Christi, ita caelos novos et terram novam exspectant, in quibus inchoabitur absoluta perfectio regni Christi et sanctorum. Hoc est quod orantes petimus: *adveniat regnum tuum.*

5. Diximus, mundi molem esse permansuram: sane Scriptura de innovatione seu mutatione in melius, non de abolitione loquitur. « Mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde et Apostolus ait: *Praeterit enim figura huius mundi;* figura ergo praeterit, non natura ». Aug. *Civ. Dei* X. 14. Hinc Ecclesiastes III. 14. *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Et re quidem vera nulla apparet causa, quae desitionem mundi stellarum nempe planetarumque adducere valeat nec ulla ratio, cur Deus annihilet quod creavit. An desinente progenie Adami in hac exigua tellure, putas nullos alios superesse viventes et intelligentes in tanta immensitate spatiorum, in tanta plenitudine corporum caelestium? Praeterea finis creationis non desinit. Aspectabilis enim haec creatura beatis quoque comprehensoribus non erit inutilis, qui exinde notitiam specialem rerum et oblectamentum capient auctoremque tot mirabilium impensius laudabunt.

Quid vero prohibet arbitrari, terram novam futuram sedem hominum eorum, qui solius peccati originalis labe infecti, beatitudine supernaturali indigni erunt, at a felicitate quadam naturali non alieni? Cf. Tract. praec. th. 81.

§. 35. — Quando autem id futurum sit, Christus noluit vel Apostolis revelare.

1. Iam sane multi tentaverunt coniecturis definire, quandiu humanum genus sit duraturum in terris (cf. quendam eorum elenchum apud Hurter *Comp. Theol. Dogm.* III. §. 842. *nota*): nec recentes tantum,

sed et veteres in ipsis Ecclesiae initiis id sunt moliti. Ita Pseudobarnabas in epist. n. 15. ait: « Attendite filii quid dicat: *consummavit in sex diebus* (Gen. II. 2.); id ait: omnia consummabit Dominus in sex millibus annorum; nam apud illum *dies* significat *mille annos* » (2. Pet. III. 8.). Ex eo scilicet quod sex dierum spatio mundus sit factus, arguebant, sex millibus annorum staturum. Ita Irenaeus V. 28. « Omnia consummabit Dominus Deus in sex millibus annorum ». Pariter Hippolytus in Danielem (Migne P. G. t. X. col. 615.). « Primus adventus Domini nostri in carne, in Bethlehem sub Augusto factus est quinquies millesimo quingentesimo anno, passus vero est anno trigesimo tertio. Oportet igitur omnino, ut sex millium annorum numerus adimpleatur, ut veniat sabbatum scilicet requies, dies sancta, in qua *requievit Deus ab omnibus operibus suis* ». Q. Iulius Hilarianus, qui sub finem sec. IV. scripsit libellum *de Mundi duratione* (Migne P. G. XIII. col. 1098. seqq.) censebat et ipse mundum duraturum annos 6000. ideoque, ut ipse supputabat, anno 470. post Chr. completum iri annos 6000., deinceps vero chiliasmum futurum, ac tandem iudicium. Opinio haec de duratione mundi huius (melius, generis humani) sex annorum millibus medium aevum quoque pervasit, ea iudaicis quibusdam inanibus traditionibus videtur in acceptis referenda; in Thalmude sane comparet (Gemar. B. Sunedr. c. 11.), quae tamen novissimae aetati, Messiae scilicet, bis mille concedit annos.

2. Verum haec similesque opiniones coniecturae sunt prorsus inutiles in re prorsus ignota, quod iam monuit August. *Civ. Dei* XVIII. 53. « Quaeri solet: quando istud (consummatio seculi) erit? importune omnino. Si enim haec nobis nosse prodesset, a quo melius quam ab ipso Domino magistro interrogantibus discipulis disceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed a praesente quaesierunt dicentes: *Domine, si hoc tempore praesentaberis et quando regnum Israel?* At ille: *non est,* inquit, *vestrum scire tempora, quae Pater in sua posuit potestate* » (Act. 1. 6. seq.).

3. Et sane nonne Christus interrogantibus Apostolis de consummatione seculi, *quando haec erunt?* respondit: *de die autem illo vel hora nemo scit neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater.* Marc. XIII. 32.; quae emphatica locutio nusquam alias adhibita, ostendit notitiam huius rei, antequam fiat, subductam esse prorsus a mentibus nostris. Porro cum de illa iam certo sciamus eam esse venturam, et quid in ea sit agendum, resurrectionem nempe et iudicium futurum, quae omnia Christus docuit in illa ipsa responsione, id quod Pater sciri a nobis non vult, aliud esse nequit, quam tempus vel momentum quando haec erunt.

Frigida prorsus et insulsa esset interpretatio, si verba Christi: *nemo scit*, de tunc exsistentibus tantum hominibus acciperemus. Iste certe dies ad ea spectat tempora vel momenta, *quae Pater posuit in sua potestate:* at si Apostolorum non erat haec nosse, multo minus quivis alius ex hominibus vindicare sibi poterit hanc notitiam.

4. Non est huius loci declarare sensum verborum: *Neque Filius;* satis sit advertere, quod Christus ut Deus id non potuit ignorare: sed neque etiam ut homo; quia, etsi cognitio intellectus humani Christi minor fuerit cognitione divina, attamen cognitio factorum sponte ab intellectu divino ad humanum eiusdem personae labebatur praesertim instructum intuitiva Dei visione, nec decuit prorsus, ut qui constitutus iam erat iudex vivorum et mortuorum, ignoraret quidquid ad proprium officium spectabat. Nesciebat ergo Christus respectu discipulorum, quatenus, licet missus esset, ut enarraret ea quae in sinu Patris vidit, id tamen noluit vel non debuit docere.

5. Verum haec nostra ignorantia neque quoad omnes homines, neque quoad omnia tempora, per quae humanum decurret genus, eadem est censenda. Sane idem Christus eventus quosdam indicavit, qui illum diem veluti plus minus propinquum praenuntiare debent Matth. XXIV. 3. seqq.: iis ergo signis exsistentibus, iam divinare hominibus licebit, praeparari adventum illius diei. Nihilominus, quoniam nec constat, neque tunc quoque constabit quanto intervallo a signis distet res signata, illa dies etiam postremos homines inexspectata occupabit.

Hinc Christus loquens de altero suo adventu, aiebat: *estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* Matth. XXIV. 44. hoc autem non solis praesentibus sed omnibus se dicere professus est: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Ceterum quid opus est argumentis, ut id conficiamus? praecisa divina revelatione, neque illud sciremus, genus humanum aliquando desiturum, neque, huius rei supposita revelatione, divinare quis potest ex iis, quae in naturae ordine peraguntur, quandonam finis instabit, revelatio autem divina hac in re silet.

Parergon. 1. Cum Christus loquens de ultimo die moneat omnes vigilare; nesciunt enim, quando tempus sit, idque omnibus etiam praesentibus dicat Marc. XIII. 33.-37. Luc. XXI. 34.-36. Matth. XXIV. 36.-42., visus est quibusdam ipse Christus ignorasse illum diem; qui enim nosset tandiu differendum esse diem, non moneret praesentes, ut essent parati. Verum id cogitare nos prohibet fides in Christi divinitatem, ut idcirco si quaestionis solutionem non invenerimus, id unum reliquum sit futurum, fateri humiliter ignorantiam nostram.

Ceterum 1. negatur consequentia illius argumenti: Christus monet

etiam praesentes vigilare in illum diem: ergo ignorabat quando is esset venturus. Nam cum nollet huius eventus futuri certam notitiam alicui tradere, oportuit, ut praesentes quoque ac proxime futuros in illa admonitione complecteretur. 2. In eodem autem sermone Christus significavit se nosse, longum tempus elapsurum ante illum diem: affirmat enim evangelium regni praedicandum esse in universo orbe omnibus gentibus ante consummationem seculi: Matth. l. c. 14., atqui id quilibet sanae mentis intelligebat obtineri haud posse eo spatio temporis quo homines eius aetatis essent victuri. 3. Cum pro singulis hominibus praeparatio ad eum diem non alia sit quam praeparatio ad mortem sanctam iudiciumque animae particulare, oportebat, Christum homines quoque praesentes exhortari ad eam praeparationem.

Sancte enim ad mortem parati, hoc ipso et non aliter parati essent ad illum diem. Universi homines scilicet sibi succedentes ad illum diem extremum se praeparant sancte vivendo et sancte moriendo.

§. 36. — Finem humani generis Christus glorioso adventu clarificabit, omnes iudicaturus.

1. Alterum Christi adventum Scriptura Novi Testamenti frequenter testatur. Matth. XXIV. 30. ipse Christus affirmat: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.* Atque XXV. 31.: *cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo tunc sedebit super sedem maiestatis suae et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Cf. Marc. XIII. 26.-27. Luc. XXI. 27.

Item Act. I. 11. cum Christus ascendisset in caelum, Angeli dixerunt discipulis: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* 1. Thess. IV. 15. *Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo... nos simul rapiemur obviam Christo in aera.* De *παρουσία*, Christi, quam praestolamur, frequenter loquitur N. T. 2. Thess. II. 1. 1. Tim. VI. 14. *ἡ ἐπιφανεία*, Tit. II. 13. Iac. V. 7. 8. 1. Petr. II. 13. *ἀποκαλύψις* I. X. 2. Petr. III. 4. 12. Iud. 14. 1. Cor. I. 8. *ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου.* 1. Thess. III. 13. Habes in Symbolo *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.* Cum agatur de facto quod sola testificatione constare potest, haec testimonia satis superque sunt.

2. Sensus porro omnium Christianorum est, quod Christus iterum venturus sit prorsus in hunc finem, ut iudicet mundum, h. e. expensis meritis et demeritis sententiam proferat inappellabilem, qua aeternum praemium vel aeternam penam decernat hominibus. Fuerunt qui ad-

vertentes *τὸ iudicare* in Scripturis frequenter exhiberi tanquam actum proprium regis atque tantundem valere ac imperio regere, regnare (1. Reg. VIII. 5. 3. Reg. III. 9. Psal. LXXI. 2. etc.), censuerunt, articulum fidei quo credimus, Christum venturum iudicare vivos et mortuos, eo spectare, ut Christus venturus sit regnare super omnes homines. Quae quidem opinio cohaeret cum opinione Chiliasmi, de qua opus non est, ut heic nunc disseramus. Nobis satis sit ostendere, Christum reapse venturum esse ut mundum iudicet, iudicio accepto formaliter prout est prolatio sententiae, causa cognita.

Sufficiens, puto, huius rei probatio sunt verba Christi. Matth. XXIV. XXV. Postquam de adventu suo secundo locutus est: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate* XXIV. 30., interpositis monitis et parabolis, quibus praeparatio necessaria omnibus suadetur XXIV. 37.-XXV, 30., rediens ad id quod dixerat, prosequitur: *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes.... Tunc dicet illis qui a dextris eius erunt: venite benedicti* etc. XXV. 31. seqq. Ubi habes Christum agere partes iudicis, qui opera tum bonorum tum malorum expendit atque sententiam profert. Utraque autem sententia lata nihil amplius superest quod homines agant in hac tellure; nam *ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam*, XXV. 46.

3. Hinc Apostolus repraesentat Christum in illa die sub ratione formali iudicis 2. Tim. IV. 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.* In idem redit quod ait 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.*

Manifestari ait h. e. non tantum praesentes fieri sed et manifestos ut revelentur abscondita tenebrarum et pateant consilia cordium (1. Cor. IV. 5.): *ut referat unusquisque*, ut ei rependantur *propria corporis τὰ ἴδια τοῦ σώματος*, sed praestat lectio communis graecorum *τὰ διὰ τοῦ σώματος quae per corpus*, h. e.: interprete Augustino de Praed. 11.-12., *quae corpus gerens*, h. e. in hac vita mortali fecit, prout gessit *πρὸς ἃ ἔπραξεν*, iuxta ea quae gessit.

4. Ergone universale instituitur iudicium, cum singuli homines iam sint iudicati? In primis postremi homines illius aetatis, iusti saltem (cf. §. 7.), non morientur nec idcirco particulare iudicium subibunt. Quemadmodum autem Christus in primo adventu se manifestavit hominibus sub humili forma, ita se manifestabit postremis hominibus in

forma gloriosa, convocatis praeterea ceteris hominibus e sepulcris, ut eius maiestas et imperium omnibus praesertim reprobis innotescat.

5. Ratio autem huius iudicii universalis haec redditur a s. Thoma (Suppl. q. 88. a. 1. ad 1[m]): « Quilibet homo et est singularis persona et est pars totius generis humani; unde et duplex ei iudicium debetur, unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta ea quae in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus sed quoad animam tantum (recipiet): aliud iudicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis, sicut aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam etiam quando iudicium datur de communitate, cuius ipse est pars; unde et quando fiet universale iudicium totius humani generis per universalem separationem bonorum a malis, etiam quilibet per consequens iudicabitur. Nec tamen Deus iudicabit bis in idipsum; quia non duas poenas pro uno peccato inferet, sed poena, quae ante iudicium complete inflicta non fuit, in ultimo iudicio complebitur postquam impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul » et sancti pariter quoad corpus et animam glorificabuntur. Oportet scilicet homines (corpus et animam simul), qui operati sunt, iudicari atque iudicari omnes simul, quia communitatem unam constituunt, quae integra subest divino regimini et cuius pars in partem reciprocum influxum habuit, quorum proinde singulorum opera omnia nondum sunt manifesta, sed manifesta fient collatis omnibus simul.

Haec et similia argumenta sunt rationes convenientiae; Deo sane integrum erat aliter res disponere: quocirca suprema pro nobis ratio huius facti est voluntas Dei manifestata.

§. 37. — Non ante venturus est Christus quam praedicatum sit Evangelium in universo orbe.

1. Id sane ipse Christus affirmavit, cum discipuli interrogassent eum, *quod signum adventus sui et consummationis seculi?* Matth. XXIV. 3. respondit enim inter alia v. 14. *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ in testimonium omnibus gentibus et tunc veniet consummatio τὸ τέλος.* Iam vero universus orbis *ὅλη ἡ οἰκουμένη* utique per se perinde accipi posset ac regio subdita romano imperio, quemadmodum id valet apud Lucam III. 1. *πᾶσα ἡ οἰκουμένη:* verum Lucas referens edictum Caesaris Augusti, locutionem illam eo sensu accepit, quo a Romanis accipiebatur et forte in ipso edicto Augusti ea phrasis occurrebat; at nunc, apud Matthaeum, Christus est qui loquitur, qui noverat amplitudinem telluris humanique generis

multo esse maiorem, quam romana superbia putabat, quique sicut salutem ita Evangelium suum omnibus prorsus hominibus absque exceptione destinaverat, Marc. XVI. 15. 16.; pro omnibus enim mortuus est. Quocirca sensus obvius verborum retinendus est; eoque magis quod ipse Christus se explicans adiecit: *in testimonium omnibus gentibus.*

Et re quidem vera si universus orbis est regio tantum romani Imperii, iam a pluribus seculis talis praedicatio obtinuit: atqui particula: *et tunc* καὶ τότε non admodum longum intervallum postulare videtur, quale foret a suscepta christiana religione in romano Imperio ad nostra usque tempora et quod praeterea excurret.

Exspectare igitur oportet, donec Evangelium regni praedicatum sit omni in loco cuilibet genti, quod nondum factum cernimus. Quantum vero temporis sit inter universalem praedicationem atque consummationem intercessurum, Christus non dicit: res adhuc incerta manebit. August. epist. 197. 4. « *Tunc veniet* quid est nisi: ante non veniet? Quanto post ergo veniat, incertum est; ante tamen non esse venturum, dubitare non debemus... Unde si iam nobis certissime nuntiatum fuisset, in omnibus gentibus Evangelium praedicari, nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret usque ad finem, sed magis magisque iam propinquare, merito diceremus ».

Atque recolendum est, iuxta Apostolum Rom. XI. 25. seqq. nationem quoque Israelitarum redituram esse tandem ad Christum suum: antequam ergo id fiat Dominus haud veniet. Modo vero adeo Iudaei sunt alieni a Christo, ut primipili sint in secta, quae Christi Ecclesiam ferocissime impugnat.

2. Difficultas enascitur ex verbis Christi: cur non dixerit simpliciter: *praedicabitur evangelium*, sed *hoc evangelium regni:* quid sibi vult illud *hoc?* Eadem phrasis occurrit apud eundem Matth. XXVI. 13.: probans enim Christus et adversus discipulos indignatos defendens unctionem sibi factam a Maria sorore Lazari, ait: *Ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium* τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο, *dicetur et quod haec fecit, in memoriam eius* αὐτῆς. Scilicet hoc evangelium est illud omne, quod Christus integro Matthei ep. XXIV. docet de eschatologia, quemadmodum in cp. XXVI. tota illius historia convivii, quod cum sit pars boni nuntii praedicandi ab Apostolis ideo et ipsum vocatur bonus nuntius. Ita Scripturae nomen fit non tantum universae Scripturae sed et singulis capitulis imo et versiculis, Ioan. XIX. 36. 37. Non autem hoc evangelium accipit Christus exclusive: quocirca *hoc evangelium* perinde est ac evangelium regni referens hunc ipsum sermonem cp. XXIV. vel historiam cp. XXVI. Praedicatio sane huius Evangelii praedicationem supponit totius Evangelii, cuius illa pars erat futura.

§. 38. — Christus non est iterum venturus nisi venerit ἀποστασία primum et se prodiderit ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας.

1. Haec est sententia Apostoli 2. Thess. II. 3. 4., quam declarare oportet. His verbis non docemur proprie quando Dominus sit venturus, sed potius quandiu non sit venturus; oportere scilicet haec praevertere antequam illum praestolemur.

Duo copulat Apostolus, *apostasiam* et *hominem peccati*, nec satis significat, utrum simul an successive haec sint eventura, τὸ enim *primum* πρῶτον referendum est ad praecedens: *quasi instet dies Domini.* Advertendum sane est, nos heic incidere in ἀνακόλουθον: apodosis scilicet desideratur, quae tamen facile suppletur: scilicet, nisi venerit discessio primum etc. *non instabit dies Domini.* Primum praevertere debent *discessio* et *homo peccati:* id autem fieri potest sive una simul haec duo contingant sive alterum post alterum. Forte inspecta indole utriusque divinare licebit, quae hypothesis sit probabilior.

2. Quae est ergo haec ἀποστασία, discessio? Sunt qui censeant idem dici utroque inciso, altero *abstracte* discessio, altero *concrete* homo peccati, ita Augustinus, Chrysost., Theodor. Theophylac., apud Alapide in h. l.: ut idcirco discessio sit operatio eius qui dicitur homo peccati.

Haec interpretatio excogitata forte ad effugiendam difficultatem (quamvis quidam, loco *discessionis* seu *apostasiae*, legerent concretum *refuga*, August. *Civ. Dei* XX. 19.), inducit in sermonem Pauli absque causa figuratam locutionem.

3. Censent alii loqui Paulum de discessione ab imperio romano, quatenus nationes ab eius recedant regimine, de dissolutione, paucis, imperii romani, quod tunc vigebat, immortalitatem sibi promittens. Cyrill. *Hier. cat.* 13. Chrysost, in h. l. Tertull. *Apol.* 32. Lactan. *Div. Inst.* VII.-15. Pseudo Ambr. in h. l. Bellarm. *de Rom. Pont.* III. 5. Alapide in h. l. et dicitur opinio satis communis Patribus aliisque scriptoribus subsequentibus.

Verum 1. ἀποστασία in Scripturis de recessu moraliter malo usurpari solet; nullum vero morale malum per se in eo invenitur, quod gentes praepotentis virtute subactae, autonomiam suam recuperent. 2. In dissolutione imperii romani non habuit proprie locum ulla discessio populorum, sed aut vis fortior adversariorum eos vel invitos abstraxit, aut senectus impotentis regiminis eosdem amisit. Certe Romanum Imperium quod aetate Pauli constabat, quodque in eo erat, ut multis Europae gentibus Roma Romanusve Princeps potestate ferrea, ut significavit Daniel, dominaretur, iam a pluribus seculis desiit.

Sane cessavit illud iamdudum cum per irrumpentes barbaros nova regna loco eius fuerint constituta, umbra veluti eius in Oriente residua post plures Maumedanae sectae rapinas fuit tandem sec. XV. abolita: titulo quidem huius imperii sec. VIII. in Occidente restituto (absque vero tamen tradito dominio et iuribus propriis veterum Imperatorum) in Carolo Magno cuius successores perperam sibi vindicabant iura veterum Romanorum. Tandem nomen quoque apud nos sub initium elapsi seculi excessit merito ab usu. At tanto intervallo temporis, quod a seculo quinto excurrit, separari a die Domini discessionem, de qua loquitur Apostolus parum est credibile.

Affirmabant Scriptores sec. XVI. Bellarminus l. c. sec. XVII. Alapide in h. l. romanum imperium usque ad finem duraturum, tum in decem regna dividendum totidem regibus subiecta. Verum quomodo perseveraverit, profecto nescimus, et quomodo ex iis, quae tunc obtinebat dictus Romanus Imperator, formanda fuerint decem regna divinare non licet. Certe modo nullus est Imperator Romanus vel in scholis inferioribus.

4. Quocirca probabilius est, apostasiam, quae emphatice *ἡ ἀποστασία* dicitur, esse discessionem a Deo et Christo eius, non quidem singulorum hominum (Ecclesia enim Dei usque ad finem perseverabit), sed civilium societatum seu nationum, quarum regimen, consentiente maiore vel potentiore parte populi, nedum suave Christi iugum excutiat, sed et eius Ecclesiam impugnet et abolere conetur. Ita s. Thomas comm. in h. l. hanc interpretationem primo loco ponit, ita Estius in h. l. reprobata praecedente; quia, ait, iam olim a Romano Imperio quotquot gentes ei subiectae erant, desciverunt, solumque poene nomen Imperii Romani modo reliquum habemus. Et sane ipse Apostolus 1. Tim. IV. 1. testatur *in novissimis ὑστέροις temporibus discessuros aliquos a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.* Hanc interpretationem recipit et Calmet in h. l. Talem apostasiam iam caepisse atque progressus quotidie facere, ipsi profecto oculis nostris usurpamus, rem urgente potissimum perditissima secta, ex qua proditurum *hominem peccati* omnia nunc suadent.

5. Itaque ante adventum Domini venturus est *homo peccati:* revelabitur, ait Apostolus, in apertum prodibit *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας,* praevaricationis a lege (cf. s. Ioan. III. 4. *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*). Ut quis iste sit cognoscatur, considerandae sunt notae, quibus ab Apostolo describitur.

Et primum dicitur hebraica phrasi *homo peccati*, peccator nempe per antonomasiam, tum *filius perditionis, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας,* h. e. homo (l'uomo) perditissimus: deinde *qui adversatur*, supple ex immediate

sequentibus ei *qui dicitur Deus*, est nempe ὁ ἀντικείμενος Deo, adversarius Dei et Christi eius: tum qui *extollitur supra omne quod dicitur Deus* ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεόν (supra omnem qui dicitur Deus, supra Patrem et Filium et Spiritum Sanctum) *aut quod colitur* ἢ σέβασμα, ut cultum veri Dei aboleat, *ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus :* honorem scilicet et cultum divinum sibi vindicabit. Praeterea vocatur *ille iniquus,* ὁ ἄνομος, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui* τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, illiusque *adventus* παρουσία *esse dicitur secundum operationes Satanae.*

6. Habemus ergo hominem κατ' ἐξοχήν peccatorem, adversarium Dei, eversorem cultus Dei, seque exhibentem ut Deum, cuius ἡ παρουσία secundum operationem Satanae opponitur τῇ παρουσίᾳ Christi quique per manifestationem huius παρουσίας adventus Christi interimendus et delendus est.

Itaque hic, cuius παρουσίαν excipiet ἡ παρουσία Christi, est adversarius Christi, ὁ ἀντίχριστος scilicet: nec Christus venturus est antequam ille venerit. Ἀντίχριστος duplicem per se potest significationem habere, aut significare eum, qui loco Christi sit vel se loco eius sistat, *pseudochristus,* aut qui contra Christum sit, eumque oppugnet.

Hac altera significatione accipit Ioannes et cum eo sensus traditionalis Patrum et Theologorum. Cf. Suarez *Defensio Fidei*, lib. 5. c. 1. seqq.

Porro ex verbis Apostoli habes, agi de uno homine, singulari persona, tum quia semper in singulari de ipso sermo heic est, *homo peccati, adversarius, iniquus, qui extollitur, cuius adventus:* tum quia multitudo aliqua seu societas nequit se exhibere tanquam Deum colendum in templo. Hic est de quo et Ioannes 1. epist. II. 18. loquitur: ὁ ἀντίχριστος *venit*, eumque secernit ab iis quos indefinite vocat ἀντιχρίστους ideoque ille est persona singularis, distinguit enim eum a multitudine.

Quod recitatis verbis Paulus docet, testatur, se iam Thessalonicensibus tradidisse, cum apud eos primum praedicavit Evangelium (a). Ait

(a) Perpende, per transennam, hanc esse ex omnibus epistolis paulinis alteram ab ipso scriptam ; duae enim epistolae ad Thessal. priores sunt ceteris, quas ex eo scriptas habemus. Porro in hac et aperte significet, se haud credere, quod instet dies Domini, atque affirmat, se iam fideles docuisse, id non esse credendum. Qui fieri ergo potest, ut idem Paulus in sequentibus epistolis significet, se putare vicinam esse τὴν παρουσίαν Domini ? Manifestum est alio sensu eius verba esse accipienda, eo sensu nimirum quo catholici accipere solent. Ceterum Apostolus identidem loquitur quemadmodum et Christus loquebatur (Luc. XXI., 28.), qui bene noverat, longe distare alterum suum adventum.

sane v. 5. *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?*

7. Sequuntur tres versiculi paulo obscuriores, quos, si fieri potest, explicare oportet et declarare quid sit *τὸ κατέχον* et *ὁ κατέχων*, de quibus magna exstitit quaestio. Ait ergo :

v. 6. *Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ αὐτοῦ καιρῷ. Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore.*

v. 7. *Τὸ γαρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μονον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Adverte verba vulgati: *ut.... teneat*, nihil habere sibi respondens in textu graeco, qui nihilominus nullam praefert variantem lectionem.

v. 8. *Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, ὃν ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἀνελεῖ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui eum.*

Iam vero ait Apostolus Thessalonicensibus iamdiu sollicitis de adventu Domini, scitis *τὸ κατέχον*, quid detineat, quid impediat, adventum Domini scilicet; hoc enim *κατέχον* vel est aliquid, quod ipse iam alias manifestaverat Thessalonicensibus et proinde tanquam illis notum nunc non repetit, vel est illud ipsum quod modo dixerat, oportere nempe prius apostasiam exsistere et venire hominem peccati: quandiu hic non venerit, Christum non esse venturum. Adventus proinde Antichristi dilatus, est id quod detinet adventum Christi ut scilicet Christus appareat in tempore suo, quod est tempus subsequens dies hominis peccati.

Versus sequens legendus est veluti in parenthesi. Dixerat oportere, ut adventus Antichristi praevertat adventum Domini; monet tamen quod opus antichristianum iam caeptum est: *nam* (*γὰρ* heic est explicativum) mysterium iniquitatis iam operatur, tantum usque dum ille qui nunc detinet, *ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται* antichristus scilicet, qui nondum apparens impedit ne nunc Dominus veniat, e medio tollatur. Docet itaque mysterium iniquitatis usque ad Antichristum inclusive operaturum. Eodem sensu Ioannes de Antichristo loquens dixit, iam multos factos esse antichristos (1. Ioan. II. 18.).

Versus 8^{us} facile nectitur cum versu 6^{o}. Dixerat tempus proprium adventus Domini subsecuturum ad tempus Antichristi, ideo subdit: *et tunc* instante nempe tempore definito, *revelabitur ille iniquus*, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et manifestatione sui adventus ad nihilum rediget. Quod quidem quomodo sit concipiendum, inferius suo loco declarare conabimur (cf. Simar in Kirchen Lex. v. *Anti-*

christus). Interpretationes varias quid sit τὸ κατέχον vide sis apud Prat *La Theologie de Saint Paul*, pag. 118. seqq.

Itaque antequam dies Domini veniat, revelari oportet hominem peccati, Antichristum scilicet. Facinora autem eius et scelera inferius videbimus.

§. 39. — Christi adventum praecedet adventus Eliae prophetae.

1. De Elia propheta ad hanc materiam quod spectat, haec novimus. Vivus ablatus est e terra et elevatus a Domino in caelum. 4. Reg. II. 1. *Cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in caelum.* 5. *Filii prophetarum dixerunt ei* (Eliseo): *Nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Et ait: et ego novi: silete.* 9. *Elias dixit ad Eliseum: postula quod vis ut faciam tibi antequam tollar a te.* 11. *Ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque et ascendit Elias per turbinem in caelum.* Eccli. XLVIII. 9. ad Eliam sermo dirigitur. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum* 1. Mach. II. 58. *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in caelum.*

2. Tum scimus Eliam rursus venturum. Eccli. c. c. v. 10. *Qui scriptus est in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium et restituere tribus Iacob* (ex textu hebr. mox detecto: *Qui assumptus est in tempestate sursum et in turbis ignis: qui scriptus et paratus ad tempus ut cessare faceres iram... ad convertendum cor patrum ad filios, ad erigendum.....* In textu hebraico supersunt tantum duae litterae distantes ש.....ל, nempe שבטי ישראל *tribus Israel).* Malach. IV. 5.: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam,* (οἱ ὁ habent: Eliam τὸν θεσβίτην, ex oppido nempe Thesbi, qua appellatione frequenter in V. T. nominatur) *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Matth. XVII. 10. seq. *Interrogaverunt eum dicentes: quid ergo scribae dicunt, quod Eliam oportet primum venire? At ille respondens ait eis; Elias quidem venturus est et restituet omnia,* Ἠλίας μὲν ἔρχεται καὶ ἀποκαταστήσει πάντα. Tum quoniam Ioannes venerat in spiritu et virtute Eliae Luc. I. 17., subdit Christus: *dico autem vobis, quia Elias iam venit et non cognoverunt eum,* Ioannem significans, quemadmodum discipuli ipsi intellexerunt: *tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis,* quem sane Christus ab Elia distinxerat affirmans ipsum restituturum omnia, quod Ioannes non fecit: ipseque Ioannes se Eliam esse negavit. Ioan. I. 21.

3. Ex his testimoniis habemus 1. Eliam excessisse a terra atque ab humano convictu absque morte: 2. Si vivus excessit iterum venturus,

credibile per se esse, ipsum toto hoc tempore intermedio vivere. Ita August. *de Peccato originali* c. 23. ait: « Henoch et Eliam non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere ». Et sane si Elias receptus dicitur in caelum, insinuatur locus a passionibus et malis, quibus heic premimur, immunis, ideoque et a morte. Atque haec est constans sententia theologorum. Cf. Bellarm. *de Antichristo*, c. 6. Suarez in 3. p. tom. 19. disp. 55. sect. 1., atque id catholicos omnes certa fide tenere testatur idem Bellarm. l. c. Tum 3. habemus, Eliam venturum ante alterum adventum Domini. Hoc profecto colligimus ex verbis Malachiae, sub quibus nequit intelligi Ioannes Baptista; nam dies magnus et horribilis est dies secundi adventus: porro Ioannes praecessit priorem: neque Ioannes est Elias ὁ θεσβίτης. In testu originali est הנביא ὁ προφήτης, quo pacto designatur certa persona, notus et celeberrimus ille propheta, h. e. Elias. In i lem recidunt verba Christi ipsiusque Ioannis ex quibus liquet, duos esse praecones, Eliam atque Ioannem et non esse impletum vaticinium citatum Malachiae per adventum Ioannis. Eccli. l. c. loquitur de vero Elia, *qui assumptus est sursum in tempestate* etc. hunc porro affirmat paratum esse ad tempus, ut cessare faciat iram, ut convertat etc. quemadmodum loquitur Malachias: ergo ipse Elias venturus est, qui assumptus est in turbine; hic autem non est Ioannes.

Consensum Patrum hac in re habes apud Natale Alex. *Hist. V. T. aetate 4ª. mundi diss.* 6.

4. Habemus Eliam mittendum specialiter propter Iudaeos; dicitur enim Mal. l. c. *mittam vobis* et quidem in hunc finem, ut *convertat cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum*, sanata scilicet apostasia, qua Iudaei recesserunt a fide patrum suorum Abrahami, Isaaci et Iacobi; ut tandem idem sentiant patres et filii atque sic filii patribus reconcilientur patresque filios suos recognoscant. Cf. Knabenbaurer in Malach. h. l. qui aliam horum verborum praefert interpretationem.

§. 40. — Henochum quoque cum Elia venturum, plurimorum doctorum sententia est.

1. De Henoc haec habes ex Scripturis Gen. V. 22. seqq. *Et ambulavit Henoch cum Deo et vixit... ambulavitque cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus. Τὸ Et non apparuit* heb. est; *et non ipse*, h. e. non amplius ipse fuit, in terra scilicet, non amplius visus. Eccli. XLIV. 16. Henoch *placuit Deo et translatus est in paradisum ut det gentibus poenitentiam. Τὸ in paradisum* abest a graeco et ab hebraico. Textus hebraicus mox repertus sic habet: *Henoch repertus*

est perfectus et ambulavit cum Iahve et sublatus est signum cognitionis in generationem et generationem. Postrema verba graecus reddit *ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς.* (a) Hebr. XI. 5. *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.*

Addere oportet verba Apoc. XI. 3. seqq. quae ex opinione plurium interpretum huc spectare censentur. *Et dabo duobus testibus meis et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis... hi habent potestatem claudendi caelum ne pluat diebus prophetiae ipsorum et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum et vincet illos et occidet eos... Et post dies tres et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos et steterunt super pedes suos... et ascenderunt in caelum in nube...*

2. Ex his habes *a)* Henochum non esse mortuum, quod patet 1° ex verbis Genesis. Cum enim de ceteris patriarchis semper absolvatur sermo per phrasim: *et mortuus est*, in Henocho variatur phrasis: *et tulit eum Deus:* porro si mortuus esset, nulla apparet ratio mutatae phrasis. Praeterea haec translatio ut beneficium et praemium exhibetur, eo quod placuerit Deo, ambulaverit cum Deo; cf. verba ad Hebraeos: atqui mors non est praemium. Tandem id aperte significat epistola ad Hebr. *translatus est ne videret mortem.* Quocirca etsi alibi identidem ea dictio: *tolle animam meam* h. e. me. 3. Reg. XXIX. 4. *tollat me factor meus* Iob. XXII. 3. mortem significent, heic tamen, ubi de Henocho sermo est, id non significari manifestum est.

Habes *b)* Henochum reservari ut aliquando praedicet gentibus poenitentiam, quod clare Vulgatus expressit, discrimen quoddam veluti statuens inter Eliam et Henochum, quod ille specialiter Iudaeis, hic christianis ex gentibus sit praedicaturus. Neque videtur abludere textus graecus; exemplar sane poenitentiae Henoch tunc erit, cum poenitentiam gentibus verbo et opere praedicabit. Textus hebraicus obscurior est: at neque constat, ab ipso referri lectionem originalem.

3. Quando vero Henoch praedicabit? quoniam pariter ac Elias translatus est, immunis a morte, atque exsistente Antichristo (quem modo, iuxta communem satis interpretationem, sumimus esse eam bestiam de qua in Apocalysi l. c.) duo testes amicti saccis praedicaturi sunt poenitentiam, videtur legitime inferendum, Henochum cum Elia ante adventum Domini rediturum ad dandam gentibus poenitentiam.

(a) Advertendum, textum hebraicum repertum haud esse primigenium, sed exemplar exscriptum sec. XI.-XII. ut mutationibus non paucis subesse debuerit.

Haec sunt argumenta ex Scripturis petita quibus adventus Henochi ante adventum Christi demonstratur, accedente praeterea suffragio Patrum, quos ciet Bellarminus *De Antichristo* c. 6. Ita Damascenus (sec. VIII.) IV. 26. « Mittetur (cum Antichristus venerit) Henoch et Elias Thesbites, qui patrum corda in filios h. e. Synagogam ad D^m N^m I^m Ch^m atque Apostolorum doctrinam convertent ». Aretas Episc. Caesareae Capp. (sec. X.) in Apocalypsin c. XI. postquam probaverit Eliam venturum, subdit: « De Henoch vero testimonium quidem quod ad adventum spectat, ex Scriptura non habemus praeter translationem ne gustaret mortem. Fertur autem ex traditione sermo per Ecclesiam invariabiliter discurrens, ipsum quoque venturum cum Elia Thesbite ». August. *de Genesi ad litteram* IX. 6. « Nam si Henoch et Elias in Adam mortui mortisque imaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, et quod tandiu dilatum est, morituri (allusio est ad Malach. IV. 5. et Apocal. XI. 3. 7.), nunc tamen in alia vita sunt etc. ». Gregorius M. in Ezech. l. 1. hom. 12. n. 8. « Enoch et Elia praedicante, multi ex his qui tunc (in fine mundi) ex Iudaeis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Elia dicitur: Elias veniet et restituet omnia, qui utrique per Zachariam duae olivae (IV. 3.) et per Ioannem duo candelabra (Apoc. XI. 4.) nominantur ». Et in lib. 14. *Mor.* n. 24. de Antichristi tempore loquens, Enochum ait et Eliam venturos et crudelitatis eius saevitiam in sua adhuc mortali carne passuros.

4. Haec igitur opinio de adventu Henochi habet tum fundamentum indirectum in Scripturis, eo quod sine morte translatus est: cur enim? responsio obvia haec est: cum parem sortem cum Elia adeo extraordinariam obtinuerit, parem quoque esse finem cur sit servatus, ut nempe cum Elia redeat: tum fundamentum habet directum in verbis Eccli. iuxta vulgatam: *Henoc translatus est, ut det gentibus poenitentiam*, quod, cum translationem sequatur, fieri nequit nisi redeat.

At textus hebraeus et graecus id non clare annuntiant, et graeca verba explicare licet de praedicatione poenitentiae facta ab Henocho, dum viveret. Si in Apoc. XI. 3. seqq. certum esset sermonem ibi esse de Henocho et Elia, opinio haec niteretur magisterio Apostolico: at quis certos nos reddit de illo supposito? cum neque certum sit omnibus; ibi c. XI. agi de ultima mundi aetate quando Antichristus est venturus, cum quidam censeant illa, quae ibi Ioannes describit, iam impleta esse primis Ecclesiae seculis. Atque posito etiam, quod heic Ioannes duos testes memoret futuros aetate Antichristi, quorum alter sit Elias, non convenit inter interpretes quis alter sit; nam nonnulli Ieremiam designant, alii Moysen, qui in trasfiguratione Christi cum Elia apparuit,

quod alterum affirmat Maldonatus in Matth. XVII. 12. cf. Alapide in Apoc. XI.

5. Quidam praeterea Ioannem Apostolum una cum Elia et Henoch censent esse venturum, Ambrosius in Psal. 45. « Nam et bestia ille Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Henoch atque Ioannem, qui propter testimonium Domini Iesu terris sunt redditi, praeliaretur ». Et Aretas Episc. iam citatus, in Apocal. X. 11. ait: « Non est ignorandum, quod ex hoc dicto: *oportet te rursum prophetare*, opinantur multi beatum hunc virum usque ad seculi consummationem vivere ac venturum esse circa tempora Antichristi cum Henoch et Elia, ut una cum illis corrigat homines tunc viventes et quod sub Antichristo interimendus est ». S. Antoninus in Summa p. 4. tit. 13. §. 3. « Tunc de paradiso terrestri mittentur Henoch et Elias in mundum, hi praedicabunt contra Antichristum... Opinio etiam est aliquorum, ut Ioannis Dominici et Theophili, quod Ioannes Evangelista non sit adhuc mortuus, secundum illud Ioan. ult.: *sic eum volo manere donec veniam* scilicet ad iudicium. In paradisum ergo terrestrem et ipse translatus veniet et ipse praedicaturus contra legem Antichristi et suam doctrinam. Satis namque videtur istis congruum, quod si de tempore legis naturae mittetur testis unus pro Christo contra fallacem Antichristi doctrinam, Henoch, et unus de tempore legis mosaicae, Elias, et lex evangelica, quae est dignior ceteris, habeat suum testem, qui est Ioannes Evangelista, ut sit numerus plenus testium scilicet ternarius. Et tunc cum eis bibet calicem passionis ab Antichristo occidendus Math. XX. 25., quod nondum videtur impletum in Ioanne, cum non legatur migrasse martyrio ».

6. Habes ex his duobus omnia argumenta, quibus ea opinio innititur. Alios scriptores ecclesiasticos in idem consentientes habes citatos ab I. Bautz (Weltgericht u. Weltende p. 118.). Verum cum verba Domini Ioan. XXI. 22. sint simpliciter hypothetica ad coercendam curiositatem Petri: *ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ;* et aliunde constet, Ioannem esse mortuum, huiusmodi coniecturae parum habent probabilitatis. Utique Christus hypothetice loquens quamvis non affirmaverit, Ioannem victurum donec ipse veniat, suspicionem tamen ea forma locutionis ingessit, ut discipuli id sibi existimandum facile arbitrarentur. At ipsa sollicitudo Ioannis hanc refellendi opinionem atque historia testans, Ioannem esse defunctum, satis ostendunt, vanam fuisse eam opinionem Apostolorum. Si idcirco Ioannes venturus esset contra Antichristum, oporteret ipsum ante alios resurgere vel iam resurrexisse, quod quidem pie credi de b. Virgine et Ioanne Evangelista dicit s. Thomas, ex speciali gratiae privilegio (Suppl. q. 77.

a. 1. ad. 2.). Verum neque hoc pacto impleretur id quod Apostoli putabant a Christo promissum Ioanni: ipsum mansurum scilicet, h. e. non moriturum: si enim resurrexisse dicitur, mortuus ergo est.

7. Praeterea advertendum est, quod si vera fuisset interpretatio verborum Christi, quam Apostoli excogitarunt, non ageretur de adventu Ioannis contra Antichristum, a quo tandem esset interimendus, sed de perseverantia eius in vita usque ad adventum Domini, qui Antichristum subsequitur; sic enim contingeret, ut nunquam moriatur; postremi enim homines, ut iam diximus, non sunt morituri: hic autem fuit sermo qui exiit inter fratres, quod Ioannes nempe non moritur. Quocirca ad praesentem quaestionem, de iis nempe, qui contra Antichristum sunt venturi, locus hic Ioan. XXI. 22. seqq. nullatenus spectat.

Iuxta Alapide in Apocal. l. c. communior sententia est, socium Eliae contra Antichristum venturi esse Henochum eumque solum, in qua sententia tanquam probabiliore quiescere licet.

8. Quaeri solet, ubinam Henoch et Elia nunc versentur: prudens responsio est, nos nescire; non certe sunt in paradiso terrestri, qui iam nullus est. Non creditur, eos admissos iam esse ad beatificam visionem, cum corpus gerant adhuc mortale et morituri aliquando sint, ut propterea adhuc proprie sint in via non in termino. Creditur tamen eos esse in gratia confirmatos, quod statui viae non repugnat, et quadam felicitate gaudere, qua Deus cumulare eos potest etiam citra visionem intuitivam, seposita quavis corporali molestia et lucta passionum. Dubitatur, an in hoc statu mereantur: theologis generatim arridet sententia negans, tum quia etsi non sint in termino, nec tamen sunt in hac palaestra terrena, tum quia, si continue mererentur, essent excessuri merita omnium sanctorum etiam beatissimae Dei Matris, quod videtur inconveniens. Cf. Suarez in 3^{m} p. tom. 19. disp. 55. sect. 1.

§. 41. — **Quaedam signa proximi adventus sui Christus ipse praenuntiavit.** Matth. XXIV. 21.-30. Marc. XIII. 19.-26. Luc. XXI. 25.-27.

1. Textus citatos exhibere futuros eventus, qui praeverturi sunt alterum adventum Domini, atque ita respondeant interrogationi discipulorum: *quod signum adventus tui et consummationis seculi* (Matth. XXIV. 3.), sumimus nobis ex auctoritate doctorum interpretum (cf. Knabëmbauer ll. cc.). Videatur Lucas: ibi, postquam Christus de excidio Ierusalem locutus est, quem sermonem absolvit verbis: et *Ierusalem calcabitur a gentibus* (XXI. 24.), subdit: *donec impleantur*

tempora nationum καιροὶ ἐθνῶν, tempora scilicet gentibus concessa, ut in eis Evangelium praedicetur et fructus ferat (cf. Matth. XXIV. 14.). Donec ergo impleantur tempora nationum Ierusalem desolata erit. Significat proinde Christus non parvum intervallum intercessurum, ut Evangelium nationibus praedicetur, inter id quod modo dixit et mox dicturus est. Porro quae sequuntur Luc. XXI. vv. 25. 26. spectant ad alterum adventum, quod pater ex v. 27. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem* etc. Quamvis vero Lucas non expresserit explicite interrogationem discipulorum: *Quod signum adventus tui*, quam refert Matthaeus; sermo tamen Christi apud ipsum Lucam satis indicat, hanc interrogationem implicite contentam fuisse illis verbis: *quando haec erunt et quod signum cum fieri incipient?* v. 7., quae explicite referuntur ad excidium templi; censebant enim tunc discipuli, adventum Christi cum eo facto esse copulandum: sed Christus respondens errorem corrigit, utrumque eventum disiungens.

2. Itaque impletis temporibus nationum *erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et exspectatione* (*τῶν ἐπερχομένων* eorum) *quae supervenient universo orbi; nam virtutes caelorum commovebuntur* (Luc. XXI. 25. 26.). Duplex genus eventuum, caelestium et terrestrium. Caelestia phaenomena: signa *σημεῖα* in sole, et luna et stellis, et virtutes caelorum commotae: quae Mattheus sic clarius expressit: *sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de caelo et virtutes caelorum commovebuntur* (v. 29.): idem aliis verbis habet Marcus (v. 24. 25.). Haec iam praenuntiaverat Ioel II. 30. *Et dabo prodigia in caelo et in terra, sanguinem, et ignem et vaporem fumi: sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.*

Virtutes *αἱ δυνάμεις* caelorum iuxta loquendi modum scripturarum sunt astra, quae exercitus caelorum vocantur צְבָא הַשָּׁמַיִם et *οἱ ὁ* reddunt vel *δύναμις* vel *στρατιὰ τῶν οὐρανῶν*. An haec sensu litterali et proprio sunt accipienda?

Adverte, prophetias ante implementum esse generatim plus minus obscuras, ut idcirco cautos admodum esse oporteat in iis interpretandis: sermonem vero Christi hoc in loco planum esse absque ulla emphasi poetica. Ratio proinde consulit, ut haec prout sonant accipiamus, adhibita tamen animadversione; quod, cum haec signa sint data hominibus, ea phaenomena caelestia intelligenda sint respectu nostrae telluris.

3. Commentarium forte quendam suggerit Petrus, inquiens: *caeli magno impetu* (*ῥοιζηδὸν* cum strepitu) *transient* (*παρελεύσονται* evane-

scent): *caeli ardentes solventur πυρούμενοι λυθήσονται* (2. Petr. III. 10. 12.). Caelos accipere licet firmamentum, iuxta Gen. I. 8. Dixi: *forte;* nam fieri potest, ut haec conflagratio locum sit habitura post adventum Domini. Iam vero obscuratio solis et lunae sive per eclipsim sive per densissimas nubes, sive per spississimum pulverem, item stellae, ut aiunt, cadentes, presteres, fulgura et huiusmodi foenomena sunt frequentia satis et nota: discrimen, si divinare licet, erit in modo; ingruent constantius et horribilius una simul indefessa vicissitudine. Conflagratio effectus esse poterit corporis caelestis non exigui errore viae occurrentis telluri, quo vehementi attactu ferventissimus excitetur calor. At non iuvat immorari in re ignota declaranda.

4. Phaenomena terrestria ex eodem Luca: *Pressura* (*συνοχή*, constrictio, anxietas) *gentium, prae confusione* (*ἐν ἀπορίᾳ* in inopia consilii) *sonitus maris ac fluctuum* (*ἠχούσης θαλάσσης, καὶ σάλου,* mugiente mari et aestuante) scilicet praeter consuetum ordinem turbatae et furentes aquae marium ad incitas redigent homines: deinde stupor eorundem rigentium, seu *arescentium ἀποψυχόντων* veluti exanimatorum *prae timore et exspectatione eorum, quae supervenient universo orbi*, ingentium scilicet malorum quae non has aut illas gentes sed universum occupabunt orbem, quae mala superventura universo orbi homines persentient, eo quod videant virtutes caelorum commoveri. Itaque ex parte rerum insolita concitatio marium, ex parte hominum anxietas animi, inopia consilii, trepidatio pro imminentibus toti humano generis novissimis malis. Petrus loco citato (2. Petr. III. 10.) ait, quod *elementa calore solventur; terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur:* verum, ut iam monuimus, haec spectare possunt ad ea, quae subsequentur adventum Christi: quod definire infra oportebit, si fieri poterit: nam et Paulus ait, diem Domini in igne revelandum 1. Cor. III. 13.

§. 42. — Phaenomena haec credibile est post excessum Antichristi esse eventura: quibus exsistentibus certius profecto erit, instare adventum Domini, eius tamen dies semper ignorabitur donec adveniat.

1. Sane ut ex verbis Christi Luc. XXI. 26. 27. Matth. XXIV. 29. 30. obvio sensu colligitur, nihil intercedere videtur inter eorum phaenomenorum exhibitionem (quandiu duraturam, nescimus) et Domini adventum; iis enim enarratis, subdit Christus: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem* etc. (Luc.), *Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo* (Matth.). Praesertim apud Lucam habes homines arescentes prae timore et exspectatione eorum quae sunt superventura, eo quod vi-

deant commoveri virtutes caelorum. Et re quidem vera Christus, postulantibus discipulis, vult aperire quaedam signa adventus sui, signa autem postulata a discipulis, si divinare licet, erunt signa proxima eventus. At si ita est, inter haec signa et adventum Domini non est locus Antichristo, Eliae et Henocho, nec verisimile est, cum ea terribilia phaenomena contingent, auscultaturos homines Antichristum eique tanquam Deo adhaesuros. Ergo post operationem Antichristi eiusque excessum collocanda sunt haec phaenomena.

2. Obstat nihilominus quod ait Apostolus de Antichristo 2. Thess. II. 8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione τῇ ἐπιφανείᾳ adventus sui τῆς παρουσίας αὐτοῦ.* Si inimicum suum Christus destruet (ad nihilum rediget) apparitione adventus sui; ergo statim post regnum Antichristi obtinebit adventus Christi. Et quia ut diximus, haud est verisimile, quod eodem tempore componantur simul ea signa caelestia atque regnum Antichristi, consequens erit, ea signa praecessura regnum Antichristi.

3. Heic profecto occurrit quod iam monuimus, prophetias nondum impletas esse plus minus obscuras. Nihilominus si fas est aliquid interloqui, videtur praeferenda sententia, quam antea ex verbis Christi collegimus. Etenim *a)* si res per se spectetur, probabile haud est, quod post tot terribilia signa caelestia et terrestria et commotionem totius orbis, naturae ordo pacificus sit restituendus, qui necessarius foret imperio Antichristi instituendo et propagando inter voluptates carnis et cetera flagitia, nec probabile est, homines post ea signa, quae maximum timorem incutiunt et vindictam Dei praesentem sistunt, facile adducendos a cultu Dei ad cultum hominis.

b) Si verba Scripturae spectentur, quod Apostolus dicit, verum esse potest, etsi tempus aliquod intercedat inter Antichristum et Christum venturum. Nam ut spiritus oris Domini Iesu interficiat hominem peccati, non requiritur adventus ille gloriosus eiusdem, qui per *τὴν παρουσίαν* significatur, et manifestatio *ἐπιφανεία τῆς παρουσίας* non est necessario ipsa *παρουσία*, sed esse potest id quod eam praecedit et proxime futuram manifestat, nimirum illa signa in caelo et in terra.

4. Hic ergo ordo videtur eorum esse, quae praenuntiatura sunt adventum Christi. Evangelium praedicatum esse in toto orbe, illo impleto vel incipiente impleri, Antichristi regnum, quo vigente adventus Eliae et Enochi, tum signa in sole, luna et stellis etc.

5. Haec tamen dum fient, nondum certo scietur, quando Dominus sit venturus: nam *sicut fulgur exit ab Oriente et paret usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis* (Matth. XXIV. 27.): ex

improviso nempe adveniet, sicut *fur in nocte.* Quod saepe iam audivimus, cf. 1. Thess. V. 2. Luc. XII. 39. 40. 2. Petr. III. 10. Perinde scilicet erit ac in diebus Noe, ita aiente Christo: *sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis: sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis* (Matth. XXIV. 37.-39.). Et tamen Noe aequalibus suis praedixerat diluvium (1. Petr. III. 20.) atque fabricari arcam videbant, et nihilominus ex inopinato diluvium eis supervenit.

§. 43. — Impia Antichristi facinora nomini suo congruent, quo insignitur in Scripturis.

1. Vocatur scilicet a Ioanne *ὁ ἀντίχριστος* (1. Ioan. V. 18.) a Paulo *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας*. Porro si antonomastice opponitur Christo, oportet eum esse flagitiosissimum hominum, nedum negative, sed positive adversarium in omnibus Christi: si per excellentiam est *homo peccati*, colluvies omnis malitiae in eum confluat oportet.

2. Et sane haec est eius species delineata ab Apostolo. 2 Thess. II. 4.-10. a) *Adversatur et extollitur super omnem qui dicitur Deus ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν,* nempe super Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, se illis substituens, et *super omne quod colitur*, quod nempe cultu, reverentia, veneratione dignum est, *σέβασμα,* omnem scilicet cultum religiosum contemnens et e medio tollens. b) *Sedet in templo Dei, ostendens se tanquam sit Deus, ὅτι ἔστιν θεὸς* quod est Deus: divinitatis scilicet dignitatem et cultum, quod incredibile videtur, sibi vindicabit, abrogato cultu veri Dei, in ipso templo, in quo Deus colebatur, sedens, divinis honoribus delibutus. Haec nisi propagatione falsarum doctrinarum, provocatione ad omnem turpitudinem et ad omnia scelera, persecutione ferocissima omnium bonorum consequi profecto non poterit. Porro exinde factum est, ut interpretes Antichristum tanquam regem aliquem vel monarcham conciperent imperio per vim et dolos potitum. Hinc intelligitur, cur Christus dixerit. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro,* h. e. nulla caro (nullus homo) salvaretur (Matth. XXIV. 22.). *Sed propter electos breviabuntur dies illi* (ibid.). Liquet, nihil adhuc simile ab historia Ecclesiae referri, quamvis tot persecutionibus attrita fuerit.

Quocirca *c)* adventus Antichristi iuxta Apostolum l. c. est *secundum operationem Satanae*, non quod Satanae ope sit concipiendus: sed ope Satanae potestatem obtinebit et tyrannidem aget: ibi enim adventus

ἡ παρουσία est integrum tempus quo Antichristus manifestus erit. Qualis autem erit operatio Satanae opem ferentis suo ministro? d) *In omni virtute, ἐν πάσῃ δυνάμει, et signis et prodigiis mendacibus καὶ σημείοις καὶ τέρασιν ψεύδοις.* Mira ergo patrabit Antichristus, quae ab asseclis suis tanquam vera miracula accipientur; sed vera miracula non erunt, nam dicuntur ab Apostolo signa et prodigia falsa, fallacia.

Id iam Christus praedixerat, non uni tantum, sed pluribus huiusmodi prodigiorum effectionem tribuens: *surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia:* quamvis vero prodigia sint mendacia, talia tamen erunt, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (Matth. XXIV. 24.). Scilicet prodigia erunt qualia Satanas efficere valet, prodigia, quibus homines in errorem inducantur, sed homines iam proni in malum, qui desideriis carnis, mundique illecebris se regi sinunt, prodigia, quae homines fide Deo adhaerentes et stabiles in bono vana esse percipient atque contemnent.

e) *In omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Operatio Satanae, qua adiuvabitur Antichristus, erit in omni sedutione iniquitatis qua abripientur omnes, qui caritatem, quae ex fide est, h. e. veram supernaturalemque iustitiam, noluerunt induere, qui proinde sunt praesciti. Profecto, si ita res se habebit, *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo neque fiet* (Matth. XXIV. 21.).

3. Si in Apocalypsi sermo est de Antichristo, et est illa bestia, de qua c. XIII. loquitur Ioannes, occurrunt ibi nobis consona iis, quae accepimus a Paulo. Adverte primum, in capite XII. comparere draconem, qui pugnat cum Michaele, et qui tum ibi v. 9. tum c. XX. 2. dicitur esse diabolus et Satanas, qui post pugnam proiectus est in terram. Porro hic draco seu Satanas dat potestatem suam bestiae, quae ascenderat de mari (XIII. 1.-4.). Iam vero tum draco seu Satanas adoratur, qui potestatem dedit bestiae, tum ipsa bestia adoratur, adeo ut dicant adoratores: *Quis similis bestiae, et quis potest pugnare cum ea?* (v. 4.). Huic bestiae datur *os loquens magna et blasphemias,* datur *bellum facere cum sanctis et vincere eos,* datur *potestas in omnem tribum et populum et linguam et gentem:* ipsa adoratur *ab omnibus qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Haec certe congruunt cum iis, quae Paulus tradit de Antichristo: an igitur sub imagine huius bestiae pingitur Antichristus? Sed ecce alia bestia, quam Ioannes cernit ascendere de terra, habens cornua duo similia (cornibus) Agni et loquens sicut draco h. e. Satanas; quae facit ut

homines adorent bestiam priorem, quae facit signa magna, ita ut etiam ignem faciat de caelo descendere, quae iubet homines facere imaginem bestiae; eiusque gerere characterem in dextera manu, eosque occidit, qui non adorant imaginem bestiae (v. 11.-17.). An haec altera bestia est Antichristus? Videtur potius eius quidam principalis minister: sed nihil licet cum certitudine affirmare.

§. 44. — **Missio Eliae eo potissimum spectat, ut praeparet viam Domino per conversionem Iudaeorum, missio Henochi eodem spectat per procuratam poenitentiam christianorum: utriusque vero eo videtur spectare, ut Antichristo adversentur.**

1. Quid gessuri sint Elias et Henoch non licet discere nisi ex iis testimoniis, quae de eorum loquuntur adventu: ea porro sunt, quae §§. 40. 41. recitavimus. Atqui ibi Elias exhibetur tanquam missus ad filios Israel: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam*, dicitur Malach. IV. 5. *vobis* scilicet Iudaeis, quos propheta alloquitur. Et sane Eccli. XLVIII. 10. dicitur Elias reconciliaturus corda patrum ad filios et restituturus tribus Israel: animis scilicet Iudaeorum tandem ad suum Messiam conversis, harmonice simul conspirabunt veterum corda patrum et postremorum filiorum.

2. Quia vero fieri non potest, ut praedicatio Eliae directa ad Iudaeos, non transcurrat quoque ad gentes christianas, inter quas Iudaei vivunt, hinc et pro his quoque credenda est efficax futura eiusdem praedicatio, ut idcirco in eorum quoque utilitatem sit venturus. Quapropter non diximus, *unice*, sed *potissimum* Eliam mittendum pro Iudaeis.

3. E contrario Henoch venturus dicitur, ut *det gentibus poenitentiam* Eccli. XLIV. 16. Gentes sunt christiani ex Gentibus, distincti a Iudaeis: id autem eodem pacto accipiendum, quo diximus accipiendam missionem Eliae ad Iudaeos.

4. Cum hi prophetae mittendi sint ante adventum Domini, licetne pressius definire tempus quo comparebunt? Profecto, si de illis sermo est in c. XI. Apocal. ut, testante Suarez (l. infra c.), habet fere communis consensus expositorum, imo et totius Ecclesiae, ut Aretas in eum locum dixit, et si bestia, quae ibi (v. 7.) dicitur ascendere ex abysso est Anticristus. Nam duo testes (v. 3. seqq.) in hac hypothesi sunt Elias et Henoch, qui forte nondum furente et dominante Antichristo praedicabunt, sed ante eius adventum; dicit enim Ioannes, quod *cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso* (*τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου* cuius nempe est proprium, ascendere ex

abysso) *faciet adversum eos bellum et vincet illos et occidet eos.* Si una cum Antichristo iam rerum potito viverent, mirum esset, quod ille contra eos pugnaret tantummodo post tres annos et dimidiatum, quo spatio temporis eorum praedicatio exercenda est (v. 3.). Nihilominus si haec pugna ea proprie intelligitur quae effectum sortietur occisione prophetarum, non exclusis aliis oppugnationibus, probabilis est quoque interpretatio, tempore Antichristi baccantis Eliam et Henochum praedicaturos. Suarez censet verisimile esse, quod ii sint venturi postquam Antichristus monarchia rerum omnium potitus fuerit, ut restituant eos quos tyrannis illius conturbavit. Opinatur eos loca plurima esse peragraturos, non coniunctos, sed divisos, donec, Deo disponente, in eum locum conveniant, ubi ambo sint morituri. Et forte discipulos quoque habebunt, quos huc et illuc mittant (in 3. p. tom. 19. disp. 55. 1. 2.). Certe Antichristi regnantis tempora ipsi attingent, nec mirum, si non statim occidantur; nam Deus eos tuebitur et ipso opitulante miracula patrabunt (v. 6.), ac tandem mortem sub Antichristo subibunt. Sed gloriose deinde post tres dies et dimidium resurgent et in coelum ascendent (v. 11. 12.). Locus eorum mortis est *civitas magna, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus ubi et Dominus eorum crucifixus est* (v. 8.), nempe Ierusalem.

§. 45. — Apostasia nationum et Antichristi imperium non impedient, quominus hierarchicus ordo Ecclesiae et Pontificatus Romanus perseverent.

1. Id necessario consequitur ex certa doctrina de perpetuitate Ecclesiae usque ad finem mundi: Ecclesia autem non permanet, nisi eadem sit quam Christus instituit, nisi ea essentialia elementa retineat, quae constituta sunt ab eius auctore: atqui primatus Petri essentialis est Ecclesiae, itemque Episcopalis ordo ex Christi institutione: ergo. Sane Christus promisit, se futurum cum Apostolis eorumque successoribus usque ad consummationem seculi (Matth. XXVIII. 20.).

2. Sunt qui censent, Romanos cives, qui in fine mundi futuri sunt, priscorum Romanorum infidelitatem, tyrannidem et mores impios laudaturos et imitaturos, Romam rursus ethnicam evasuram, et ad pristinum Imperii splendorem redituram, christianos et maxime Pontificem persecuturam ac tandem evertendam sub finem regni Antichristi. Id ex cc. 17. et 18. Apocalypsis colligunt: cf. ibid. Alapide. Verum una censent Episcopum Romanum his quoque diebus non defuturum, qui vel Romae vel alibi commoretur: ibid. sub finem comentarii in c. 17.

3. Digna modo sunt, ut legantur, quae idem commentator habet ad v. 1. c. XVII., quaerens, quomodo in fine mundi Roma ad ethnicismum redibit. Respondet, id nos latere, solique Deo esse notum: variis tamen modis fieri posse, ex quibus hos enumerat. « Si Romam commigrent ethnici plures nobiles et potentes, qui sensim numero et viribus crescant: si magi aliqui et politici Romanos primores pervertant, eosque incitent ad pristinam patrum gloriam et deorum cultum restaurandum: si eos invitent ad vitia carnis, omnemque vitae licentiam, ut eos deducant ad atheismum ». Hae coniecturae, si verae sunt, initium iam accepisse videntur.

§. 46. — Vi manifesta Christi profligato Antichristo, non statim succedet sollemnis adventus Christi, atque probabile est, inter utrumque eventum Ecclesiam rursus splendorem suum ubique gentium recuperaturam Iudaeis quoque tandem conversis.

1. Praesupponendum est, pauca nimis esse in hac re, quae certa sint nobis: iam cum ad Apocalypsim provocaremus, usi sumus verbis dubitationem significantibus, et profecto qui putant iam a primis Ecclesiae seculis impletam esse prophetiam, negabunt ibi de Antichristo et altero adventu Domini iudicaturi sermonem esse. Nihilominus morem gerentes tot viris doctis qui praecesserunt, Apocalypsis quoque interpretibus, non ultra tamen fines probabilitatis, si commode fieri poterit, testimoniis utemur.

Antichristum profligandum et interimendum esse operatione quadam peculiari Christi, audivimus iam ab Apostolo 2. Thess. II. 8. *Ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ*. Diximus quoque (§. 43.), non esse necesse ita interpretari haec verba, ut in ipso altero adventu Christi sit interficiendus Antichristus; nam verba *spiritu oris sui* metaphoram sapiunt et ideo praesentiam Christi non exigunt: manifestatio autem adventus non est necessario ipse adventus sed esse potest praeludium quoddam eum praenutians, puta signa in sole et stellis. Quo genere autem mortis moriturus sit Antichristus, ignoramus: at ex formula paulina *spiritu oris sui* videtur ex improviso delendus.

2. Non illico ad excessum Antichristi consecuturum esse adventum Domini tenendum est, si recipitur quod iam praestituimus (§. 43.), signa ab ipso Christo praenuntiata locum habitura post Antichristi regnum. Legens Apocalypsim, si supponas bestiam, quae de abysso ascendit, esse Antichristum, et sumas ibi eventus secundum seriem temporum describi, habes bestiam h. e. Antichristum mitti in stagnum

ignis et omnes eius sequaces interimi (XIX. 20. 21.), tum ligari Satanam per mille annos, qui exactis mille annis rursus erumpet sed modico tempore, ad seducendas gentes, concitatis Gog et Magog contra castra sanctorum, ignis vero a Deo de caelo immissus devorabit asseclas Satanae, ipse autem proiicietur in stagnum ignis, ubi est bestia (XX. 1. 9.): deinde vero iudicium: (11.). Quocirca a profligato Antichristo usque ad adventum iudicis haud breve excurret tempus et iterum mali insurgent contra bonos instigante Satana antequam Christus veniat.

3. Sed quid si Apocalypsis auctor seriem successivam temporum non servet, subiiciat quidem oculis nostris seriem quandam visionum, sed eae visiones ordine chronologico non procedant, atque nonnullae ex illis idem sub diversa forma referant, et quod prius eventurum est, exhibeant posteriore loco? Quid si verba Apocalypsis sint cum Augustino *de civ. Dei* XX. 7. allegorice accipienda? Cum istae prophetiae obscurae sint, nihilque proinde liceat definire, supersedemus his quaestionibus, omissa quoque disputatione de chiliasmo ac qualibet ratione illum concipiendi.

4. Ceterum probabile est, hoc tempore impletum iri vaticinium Pauli (Rom. XI. 25. 26.) *Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret.* Iudaei scilicet, praedicante Henocho et Elia, atque hoc praecipue, aperient tandem oculos mentis lucemque veritatis recipient, in Iesu Cristo Ecclesiae auctore Messiam suum recognoscentes. Id iam praedixisse Ieremiam prophetam (XXXI. 31.-34.) ostendimus in Opusculo *de Veritate historica* etc. p. 115. seqq.

Cessante igitur Antichristi regno, cui ab initio favorem et auxilium praestituri sunt Iudaei, praevalente doctrina prophetarum, cum in cassum cesserint omnes conatus Antichristi contra Ecclesiam, auxiliante divina gratia, omnia suadebunt Iudaeis, se eatenus in errore versatos fuisse, et reversi ad fidem patrum suorum reconciliabuntur Christo, spiritales illas nuptias cum eo inituri, quas forte descripsit Canticum Canticorum.

Quod hac aetate Ecclesia sit pristinam suam virtutem et gloriam recuperatura, probabile admodum est. Desiit causa perturbationis et defectionis, profligato Antichristo: post feram luctam victoria auget vires et honorem atque amorem victori conciliat, praestolatio adventus Christi praeparationem convenientem suadebit: Ecclesiam scilicet homines rursus reverebuntur, in ea suam spem et gloriam collocantes.

§. 47. — Quam in c. XXI. Apocalypsis vidisse se narrat Ioannes, Ierusalem non est Ecclesia militans in terris, sed triumphans in caelis.

1. Istud est veluti quoddam parergon, tractationi nostrae nullatenus necessarium: illud tamen heic sistimus, ut hypothesi, quam superius innuimus, suppetias aliquas feramus, quibus probabilitatem suam tueatur. Si enim hoc capite describitur Ecclesia Christi in terris pacem tandem et gloriam consequens, id verisimillime ad priora secula post persecutiones imperatorum romanorum referetur, et proinde in capitibus praecedentibus c. gr. XI° non videbitur esse amplius Antichristo locus.

2. Iam vero de hac civitate seu de hoc tabernaculo Dei cum hominibus (v. 3.) hae sunt notae eximiae. 1. Abstergetur ibi omnis lacrima; mors non erit amplius, sed nec ullus dolor: haec priora fuerunt, sed priora abierunt (v. 4.). Anne haec sunt privilegia Ecclesiae militantis in terris? priora profecto sunt passiones et certamina, posteriora corona et triumphus: at adhuc, opinor, priora vigent. 2. Bona huius civitatis promittuntur ei qui vicerit (v. 7.): Ecclesia autem in terris locus est pugnae, praemium promissum spectat ad alteram vitam (Apoc. II. 10. III. 5.). 3. Iis, qui in hac civitate sunt, opponuntur ex adverso illi, qui sunt in stagno ardenti igne et sulphure, h. e. in inferno: atqui his opponuntur beati in caelis. 4. In hac civitate nullum est templum, neque ea eget sole aut luna, sed lucerna eius est Agnus (v. 22. 23.): atqui huiusmodi difficile compones cum conditione Ecclesiae militantis. 5. In eam nihil inquinatum intrat, nullusque faciens abominationem aut mendacium, sed illi tantum qui scripti sunt in libro vitae (v. 27.): at in Ecclesia militanti plurimi sunt mali et reprobi.

3. Difficultas est, quod haec civitas Ierusalem dicatur *descendere de caelo* a Deo et esse tabernaculum Dei cum hominibus (v. 2. 3.).

Verum non est alia et alia Ierusalem; sed caelestis Ierusalem. Ipsa est quae dicitur de caelo descendere, eo quod consociatur hominibus in terra degentibus, qui accedunt ad civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem (Hebr. XII. 22.): quia vero haec accessio per inclinationem fit Christi et sanctorum eius ad homines, ipsa caelestis civitas dicitur ad nos descendere. Descensio proinde ista huc redit, ut homines assumantur ad gloriam aeternam. Eodem pacto interpretari licet v. 12. c. III. Audi Augustinum *de Civ. Dei* l. 22. c. 27. « Haec de isto tempore accipere impudentia nimia est; quia illa: *absterget Deus* etc. tanta luce dicta sunt de seculo futuro et immortalitate atque de aeternitate

sanctorum, ut nulla debeamus in Litteris sacris quaerere vel legere manifesta, si haec putamus obscura ».

Ex dictis quoque intelligitur, cur tabernaculum Dei cum hominibus dicatur.

§. 48. — Ea conflagratio, de qua loquitur Paulus 1. Cor. III. 13. 2. Thess. I. 7. 8. et Petrus 2. Petr. III. 10. 12. praevertet iudicium.

1. 1ª Cor. III. 12.-15. ait Paulus: *Si quis superaedificat super fundamentum hoc* (doctrinae ab eo traditae) *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* 2. Thess. I. 7.-8. ait: *Et vobis qui tribulamini, requiem* (retribuere) *nobiscum in revelatione Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum.* Petrus 2. Petr. III. 10. 12. ait: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.... caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent.*

Iam vero nulla est sufficiens ratio, qua cogamur sensu quodam metaphorico, non autem litterali haec accipere. Nam purgatio aut vindicta per ignem nihil habet quod rationi repugnet: verbis porro Petri sensus metaphoricus nullus potest subiici, qui satisfaciat: eo autem igne cur non probari poterunt et ii, de quibus loquitur Paulus? Atqui sensui inhaerendum litterali, quoties nihil est, quod ipsi repugnet.

Itaque quod spectat ad priorem textum Pauli, conferenda sunt primum, quae dedimus §. 20. 8. quibus suppositis, haec in praesenti advertimus quaestione.

2. Paulus loquitur de ultima die, quae dies Domini vocatur, identidem simpliciter dies illa, ut heic iuxta textum graecum ἡ ἡμέρα, quae pleniori aequivalet dictioni ἐκείνη ἡ ἡμέρα (2. Thess. I. 10. 2. Tim. I. 12. 18. IV. 8.) haec autem est ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου, dies nempe, *in qua iudicabit Dominus* (Rom. II. 16.), in qua *iustus iudex* apparebit (2. Tim. IV. 8.). Haec dies, ait Apostolus, in igne revelabitur (vel revelatur, ἀποκαλύπτεται): h. e. per ignem, apparente Domino in flamma ignis (2. Thess. I. 8.). Porro hic ignis cuiuscumque opus (loquitur Apostolus de doctoribus) probabit: si recte egerit, opus eius manebit et mercedem accipiet, si minus recte, non tamen prave, detrimentum patietur, et

salvus erit quidem at veluti transiens per ignem: si male egerit, flamma ignis erit in vindictam, quod non heic sed alibi (2. Thess. I. 8.) dicitur.

Iam vero haec probatio ignis, quae, praeter ceteros effectus, imperfectiones purgat eorum, qui stipulam, foenum, lignum superaedificarunt (v. 12.) obtinebit certe ante iudicium; cum enim iudicium agitur vel eo exacto, locus esse amplius nequit mutationi in melius: ignis ergo ante iudicium exsistet, ut homines, prout singulis convenit, eo conflagrent.

Ex Pauli doctrina intelligimus, ignem illum non omnes consumpturum; quidam nullum detrimentum patientur, quidam patientur ita tamen ut salvi sint veluti transeuntes per ignem, homines mali verisimiliter igne absumentur. Si quis vero discrimen hoc actionis ignis miraculis accenseat, non repugnabo; dies est enim, quo suprema Christi maiestas et infinita potestas manifestanda omnibus est.

3. Diximus conflagrationem habendam ante iudicium. Utrum vero antequam veniat iudex, an ipso adveniente ignis sit excitandus, profecto nescimus cum certitudine definire. Provocatur ad Psalm. XCVI. 3. *Ignis ante ipsum praecedet:* verum ibi sermo non est de extremo iudicio et locutio est metaphorica.

Difficultas contra interpretationem textus Paulini ex eo enascitur, quod mirum prorsus videatur, Paulum scribentem ad Corinthios sui temporis et exhortantem doctores ut digno fundamento superaedificent, non habuisse prae oculis nisi doctores exstituros in fine mundi, nihilque dicere de iis qui ante illum diem suaque aetate erant morituri. Ex his enim licet imperfectis, poena soluta in purgatorio, plures beatitudinem consequentur ante diem iudicii: ut idcirco eo tempore nihil sint amplius ab igne passuri. Responderi solet, cum Paulus ignoraret quando futurum esset iudicium, potuit de illo veluti instante loqui, quemadmodum facit in aliis epistolis. Verum haec responsio reiicienda est. Nam cum scriberet ad Thessalonicenses iam sciebat, non instare diem Domini, et oportere prius venire τὴν ἀποστασίαν et revelari Antichristum (cf. §. 38.), quae duo profecto aetate sua contingere nequibant; quod l. c. iam monuimus. Cum ergo ad Corinthios epistola data sit post epistolas ad Thessalonicenses, in illa occurrere nequit ea opinio quam Paulus iam ante profligaverat, idoneis adductis argumentis.

4. Puto, quod, quemadmodum Christus monens paratos esse oportere ad diem publici universalis iudicii, implicite innuit paratos esse singulos oportere ad illud particulare iudicium quod mortem excipit singulorum et qua via sternitur ad supremum iudicium (§. 39.), ita Paulus loquens de probatione per ignem peragenda in iis qui ultimis

illis diebus vivent, velit tantundem intelligi de illis qui antea sint morituri, cum et iis ignis sit paratus vel purgatorii vel inferni.

§. 49. — Adventum gloriosum et repentinum supremi iudicis excipiet resurrectio mortuorum, eorumque collocatio ad dextram vel sinistram iudicis.

1. Haec de ista re habemus in Scripturis Luc. XVII. 24. *Sicut fulgur coruscans de sub caelo in ea, quae sub caelo sunt, fulget, ita erit Filius hominis in die sua.* Matth. XXIV. 44. *Estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* 1. Thess. V. 2. *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Ubi comparatio non fit quoad tempus (in nocte), sed quoad modum veniendi, nempe praeter exspectationem (sicut fur); sequitur enim id declarans: *Cum enim dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (ὄλεθρος exitium) *sicut dolor in utero habenti et non effugient.* Repentinus ergo erit adventus eius ultimis hominibus, quos non esse morituros iam diximus (§. 7.).

Luc. XXI. 27. *Tunc videbunt* (illi homines qui exaruerant prae timore visis tot signis) *Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.*

Marc. XIII. 26. 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria. Et tunc mittet angelos suos et congregabit electos suos a quatuor ventis a summo terrae usque ad summum caeli.* Matth. XXV. 31. 32. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* 1. Thes. IV. 15. 16. *Ipse Dominus in iussu* (ἐν κελεύσματι cum classico) *et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi* (πρῶτον primum): *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera* (cf. §. 7. 9.).

Matth. XXIV. 30. *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo et tunc plangent omnes tribus terrae* (homines viventes) *et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.* Si homines iam resurrexissent, non omnes profecto plangerent, beati scilicet. Signum Filii hominis, vel est ipsa crux sive vera sive in imagine, vel ipse Christus habens in corpore testimonia suae crucifixionis. Prior interpretatio probabilior, quia litteralis magis, et non paucis veteribus probata. Cf. Knabenb. in h. l.

2. Habes gloriosum adventum Domini in potestate magna et maiestate, comitantibus eum omnibus angelis eius: habes resurrectionem eorum qui mortui sunt; sic enim poterunt congregari ante iudicem omnes gentes: speciatim vero apud Marcum et Paulum mentio fit resurrectionis electorum; habes resurrectionem futuram cum iudex iam descenderit de caelo; talis enim ordo semper custoditur, ut prius mentio fiat adventus Christi, deinde resurrectionis vel missionis Angelorum qui congregant gentes. Sane cum Christus primum apparet, non habes in terris nisi homines arescentes prae timore. Matth. XXV. 32. 33. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis. Et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.* Oves h. e. electi a dextris iudicis erunt, et, testante Paulo, consistent in aere.

3. Porro opus, quod angeli exsecuturi dicuntur, est huiusmodi separatio. Explicans Christus parabolam zizaniorum ait Matth. XIV. 39. seqq. *Messis consummatio seculi est: messores Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis*, v. 49. *Sic erit in consummatione seculi: exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum.*

4. Angelos excitaturos eos qui mortui fuerint colligitur ex verbis Apostoli aientis (l. c.) Dominum descensurum in iussu (classico) et voce Archangeli et tuba Dei, tum 1. Cor. XV. 52. *In momento in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent.* « Tubae nomine, inquit Augustinus (epist. *ad Honor.* 140.) aliquod evidentissimum et praeclarissimum signum vult intelligi, quam vocem Archangeli et tubam Dei alio loco dicit (1. Thess. IV. 15.), quae etiam vox ipsius Domini Iesu in Evangelio dicitur, quam audient ii qui in monumentis sunt (Ioann. V. 28.). Cum Apostolus verbis *ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι* addiderit: *σαλπίσει γάρ canet enim tuba*, videtur voluisse significare verum sonitum quendam auditum iri quo mortui excitentur, quem sonitum per Angelos aut Angelum Deus esse editurum, congruentissime creditur. Novissima autem tuba dicitur, eo quod ultimum erit signum quod in praesenti seculo dabitur (cf. Cornely in h. l.).

§. 50. — Resurgent quidem omnes prorsus mortui, at non omnes iisdem instructi corporeis praerogativis.

1. Universalis resurrectio mortuorum articulus est fidei: *Credo carnis resurrectionem*, quae propositio indefinita aequivalet universali:

quod in Symbolo Athanasiano clarius exprimitur: *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Porro Christus ait Ioann. V. 28. seqq. *Venit* (ἔρχεται) *hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*, h. e. ut iudicium damnationis subeant. Quibus verbis explicite quidem de iis tantum sermo est qui libero arbitrio usi sunt, h. e. de adultis, cum finis Christi loquentis non aliud postularet: at implicite infantes quoque verbis illis adsignificari tenendum est; nam et ipsi tandem reatum peccati, etsi alieni, gestant ac digni sunt poena, ut in controversia pelagiana Ecclesia tuebatur: ideoque iudicium damnationis subituri sunt.

Paulus quoque de resurrectione mortuorum disserens, non loquitur directe nisi de resurrectione iustorum 1. Cor. XV. 23. 42. seqq. 2. Cor. IV. 14. Rom. VIII. 11. 1. Thess. IV. 15. 16., cum de ea loquatur, ut confirmet in Christo credentes consolationem eisdem afferens: sed quemadmodum non excludit resurrectionem impiorum, quam Christus testatus est, ita nec reiicit resurrectionem universalem quam Ecclesia semper professa est ex apostolica traditione. Cf. Athenagoras *de Resurrectione carnis*, Tertullianus libr. de eodem argumento, Minucius Felix in *Octavio* n. 34. Epistola Ecclesiae Viennensis n. 16. Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter.*

2. Resurrectionem mortuorum etiam Synagoga profitebatur, quam Sadducaeorum insipientia negabat, quos propterea Christus refellit et castigat. Matth. XXII. 25.-33. Ita nobilissimi fratres aetate machabaica resurrectionem sollemniter confessi sunt: secundus frater ait: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Rursus: *Potius est*, ait quartus ex illis, *ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Ubi nota resurrectionem quoque impiorum significari: non enim negat tyrannum resurrecturum, sed *resurrecturum ad vitam*, quemadmodum postea locutus est Christus. Hinc Martha dicenti Christo: *Resurget frater tuus*, respondit: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*, Ioann. XI. 23. 24.

3. De fide resurrectionis agentibus non licet praeterire textum Iobi XIX. 25. seqq. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius.* Profecto his verbis clarissime proponitur fides resurrectionis, ut idcirco merito dixerit Hieronymus de Iobo: « resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit » (epist. 53. n. 8.). Et rursus: « Tonet

Iob tormentorum victor et testa radens putridae carnis saniem, miserias suas resurrectionis spe et veritate soletur (tum allato textu ex sua versione) quid hac prophetia manifestius? nullus post Christum tam aperte quam iste ante Christum de resurrectione loquitur » (cont. Ioann. hieros. n. 30.). Cognitio linguae hebraicae, qua pollebat Hieronymus et fidelitas eius prorsus comprobata in vertendis Scripturis suspicari non permittit, fuisse ab eo sententiam textus originalis in sua versione data opera quoad sensum mutatam, licet forte eam clarius expresserit, quod identidem facere solet in vaticiniis messianicis. Haud sane possumus credere, ipsum praedicasse adeo manifestam esse prophetiam, si conscius sibi fuisset, se textum Iobi circumvenisse et de suo quaedam addidisse.

4. Nihilominus si textum hebraicum consulamus, fatendum est, quod saltem tanta claritas non apparet. Id sane constat vel ex laborioso studio, quo interpretes catholici nituntur ex verbis hebraicis eundem extundere sensum ac s. Hieronymus (cf. Patrizi, *De interp. s. Script.* lib. 2. q. 10. s. Corluy *Spicil. dogm. bibl.* tom. 1. p. 278. Knabenbauer *Comm. in Iob* hoc loco): cum e contrario s. Hieronymus translationem suam exhibeat tanquam clarissimam et certissimam. Sunt qui putent, textum hebraicum, qui nunc prostat, vitiatum esse, ut A. Loisy *le Livre de Iob traduit* Introd. p. 7. seqq. G. Bickell *Carmina V. T. metrica;* qui et textum hunc Iobi in aliquibus, emendationis causa, mutavit.

5. Nec luculentior videtur fuisse textus quem prae oculis habuerunt *οἱ ὁ,* aut alii veteres interpretes; cum Patres graeci, aut ii latini qui Itala utebantur non consueverint ex textu Iobi probare resurrectionem. Nihilominus Clemens Romanus in 1. epist. ad Cor. n. 26. probaturus resurrectionem, iam ex versione graeca citat haec verba. « Et rursus Iob dicit: *καὶ ἀναστήσεις τὴν σάρκα μου ταύτην τὴν ἀνατλήσασαν ταῦτα πάντα:* et carnem hanc meam restitues (resuscitabis), quae omnia haec exhausit ». Textus graecus Alexandr. habet *ἀναστήσει,* Vaticanus *ἀναστήσαι.* Integrum comma, quod Hieronymus reddit: *et in novissimo die de terra surrecturus sum.* sic reddendum est ex textu massoretico: et *ultimus* (redemptor) *super pulverem surget* vel *stabit.* Hieronymus pro יָקוּם legit אָקוּם, quae lectio nullum pro se habet antiquitatis documentum (ait Corluy l. c.): lectionem hebraicam confirmat lectio graeca habens in tertia persona *ἀναστήσει.* Sequentia verba in textu massoretico negari nequit difficilia esse intellectu, ut alicuius corruptionis suspicio non sit improbabilis. Quapropter ratio sufficiens abest reprehendendi s. Doctorem.

6. Difficultas potissima petitur ex indole et scopo libri. Si Iob personam agit habentis notitiam claram resurrectionis et immortalitatis futurae, qua praemia et poenae decernuntur pro gestis in hac vita, totus liber sensu caret. Cuncta argumenta adversariorum, qui hoc unum demonstrare contendunt, Iobum in Deum deliquisse eo quod esset calamitatibus oppressus, contrivisset Iobus una simplici responsione, Deum non heic sed in altera vita praemia rependere et poenas. Id sacer auctor sermonibus Eliu quadantenus enunciandum reservavit. Sed forte, si integer est textus massoreticus, probabilis est interpretatio huius loci, quam adoptat Calmetus. Iob loquitur de restitutione sui in pristinam fortunam, quam a Deo magna cum fiducia sperat, quae fiducia in fine libri expleta narratur. Hic est sensus letteralis verborum. At renovatio haec mortalis et momentanea indicium erat illius, quam fides docet, mortuorum resurrectionis: hic est sensus spiritalis seu mysticus, quem Hieronymus enucleatius expressit.

7. Etsi omnes homines sint resurrecturi, non tamen omnes resurgent eodem modo. Iusti scilicet omnes immutabuntur *πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα* 1. Cor. XV. 51. Porro qua in re est sita haec immutatio? Audi ipsum Apostolum ibid. 42. *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate* (*ατιμία*), *surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ait: *seminatur,* similitudinem prosequens prius institutam (31.), quam duxerat ex semine grano scilicet tritici vel huiusmodi, quod commissum terrae corrumpitur et moritur, ut sic in arborem adolescat et vivat. Habemus proinde quod corpus resurget *a*) incorruptibile, ideoque *impassibile*, ut nihil amplius pati possit ex iis, quae proxime vel remote ad eius ruinam conducant, ut *non esuriant neque sitiant amplius, neque cadat super illos sol neque ullus aestus* (Apoc. VII. 16.) *b)* Resurget in gloria, quae opponitur *τῇ ἀτιμίᾳ* dedecori, foeditati, qua nunc et multo magis in sepulcro corpus sordescit. *Δόξα,* quam Apostolus de astris paulo ante praedicavit (40. 41), est claritas, fulgur: altera ergo dos corporis erit lux, corpus erit splendidum, fulgens: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (Matth. XIII. 43.). *c)* Resurget corpus in virtute *ἐν δυνάμει,* quae opponitur *τῇ ἀσθενείᾳ*: nunc corpus infirmum est, quatenus tarda sunt membra, facile fatigantur, animique instrumentum sunt debile, atque legibus physicis naturae corporeae subdita sunt ut pondere urgeantur et gravitatis lege constringantur. Corpus resurget his omnibus impedimentis expeditum, sponte obediet animae, omnes eius motus et actiones sequens, dote proinde *agilitatis* instructum erit, ut praeter et contra leges corporeae naturae virtus eius praevaleat. *d) Seminatur corpus*

animale, surget corpus spiritale: haec verba, orationis forma mutata, videntur recapitulatio praecedentium, sane corpus animale est corruptibile, ignobile, infirmum, et corpus spiritale oportet esse impassibile, fulgidum, agile. At inquiens *spiritale* Apostolus per auxesim aliquid amplius significat, trahi nempe corpus, quatenus fieri potest, ad participandas qualitates spiritus, eas etiam quae adhuc non sunt memoratae. Porro inter illas est ea, quae vocari solet *subtilitas,* propter quam spiritus corpora penetrare valet; quae dos corpori non repugnat, ut demonstravimus in nostris Institutionibus Philosophicis Cosm. Th. 4ª. Huius profecto dotis exemplum nobis exhibuit corpus Christi post resurrectionem. His ergo dotibus praedita resurgent corpora iustorum, *impassibilia, splendida, agilia, subtilia.* Cf. Thom. in suppl. qq. 82.-85. Aliter vero resurgent corpora reproborum destinata ad ignem: ergo.

§. 51. — Corpus resurgens erit illud ipsum quod sociatum fuit animae in hac vita.

1. Nimirum non eo redit resurrectio ut anima rursus corpori humano, quodcumque illud sit, uniatur, sed corpori eidem, quod gestavit in hac vita mortali. Id enim quod credimus non est simpliciter restitutio hominis, sed resurrectio. Sane ipsum nomen *resurrectio* illud postulat: nam si non suo corpori anima uniatur, quod est quod resurgit? non anima quae non cecidit, non corpus, quod nunc prima vice exsistit, non totus homo quod restitui, redintegrari dicendus quidem erit, at non habet unde dicatur resurgere.

Et re quidem vera *resurrectio mortuorum,* quam credimus (Symb. Constp.), est *resurrectio carnis,* ut profitemur in Symbolo Apostolico; cuiusmodi vero est haec resurrectio carnis, si pro carne quae cecidit, alia substituatur? Iam vero haec est catholica fides: in symbolo, quod dicitur Athanasii, confitemur quod *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: τὸ suis* manifeste alludit ad corpora quibuscum animae prius copulatae fuerant. In Conc. later. 4° c. *Firmiter* id definitum est: *omnes cum suis propriis resurgent corporibus,* QUAE NUNC GESTANT, *ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.* Item in professione fidei proposita Waldensibus: *Corde credimus et ore confitemur* HUIUS CARNIS, QUAM GESTAMUS et non alterius, resurrectionem. Praeterea Symbolum fidei conc. Toletani XI. (an. 675.) ait: *Exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aerea vel qualibet alia carne, ut*

quidam delirant, resurrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, movemur et sumus. Quid his professionibus fidei clarius? non potest evidentius significari identitas corporis quod nunc gerimus et corporis resurgentis. Antiqua Statuta Ecclesiae in examine Episcopi ordinandi (v. Migne P. I. vol. 56. col. 880.) inter alias interrogationes hanc habent: « Quaerendum ab eo si credat huius quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem ».

Hinc Tertullianus (contra Marc. l. 5. c. 9.): *Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat quam quae cecidit. Surgere enim potest dici et quod omnino non cecidit, quod semper retro iacuit. Resurgere autem non est nisi eius quod cecidit. Iterum surgere quod cecidit resurgere dicitur.*

2. Ita profecto Scripturae, 1. Cor. XV. 42. seqq. *seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Discrimen est in modo seu qualitate, sed subiectum est idem, prius corruptibile, ignobile, infirmum, animale, postea incorruptibile, gloriosum, δυναμικόν, spiritale. Metaphora seminationis eo redit, ut corpus quemadmodum semen, terrae commendetur et corrumpatur, non ut corpus praesens differat a resurgente, quemadmodum semen differt a planta; nam idem est subiectum, de quo haec duo praedicantur, corruptibile et incorruptibile, ignobile et gloriosum etc. Quod seminatur surget, secus ac accidat in plantis, quarum semen non *surgit*, sed paulatim adolescit per intus susceptionem materiae extrinsecae.

3. Sane apertius, si fieri potest, enuntiat hoc dogma Apostolus inquiens v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem.* Quid est istud *hoc*, nisi corpus praesens quod gerimus? porro non huic corruptibili, mortali substituitur aliud incorruptibile immortale, sed hoc corruptibile et mortale induit incorruptionem, immortalitatem; mutatio est quoad qualitates, subiectum h. e. corpus est idem. Quocirca ad Philipp. 112. 21. dicitur quod *Dominus noster Iesus Christus reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Corpus humilitatis nostrae est, iuxta phrasim hebraicam, corpus nostrum humile, quod antea 1. Cor. l. c. dixerat ignobile: iam vero hoc corpus reformabitur, scilicet non materia sed forma eaque accidentalis mutabitur, ut simile sit corpori glorioso Christi.

4. Et re quidem vera typus resurrectionis nostrae est resurrectio Christi: atqui anima Christi idem corpus resumpsit quod dimisit. An putas potuisse fieri ut auderent Apostoli praedicare resurrectionem

Cristi Iudaeis, si isti in sepulcro conspexissent relictum cadaver, loco cuius alterum corpus Christus suscepisset?

Ratio sane cur obsequio prosequamur corpora defunctorum atque colamus reliquias sanctorum, una est potissima, quia haec eadem credimus resurrectura.

5. Haec est sententia Scholae catholicae cum s. Thoma, qui haereticos modernos appellat eos, qui *ponebant quod secunda coniunctio non esset ad idem corpus numero quod per mortem depositum est.* Docet autem quod *resurrectio dici non potest nisi anima ad idem corpus redeat; quia resurrectio est iterata surrectio, eiusdem autem est surgere et cadere, unde resurrectio magis respicit corpus quod post mortem cadit quam animam quae post mortem vivit. Et ita si non est idem corpus, quod anima resumit, nec dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.* Suppl. q. 79. a. 1.

6. Cavendum est autem a sophismate, quo quidam utuntur, ut sibi persuadeant, idem corpus fore, etsi alia prorsus materia assumatur ab ea, quae olim fuerit ab anima informata. Aiunt enim: nonne dum vivimus idem corpus gerere dicimur, quamvis intra non multos annos materia qua constat corpus sit prorsus mutata? Corpus quod nunc habes idem est ac corpus quod habebas ante decem annos, et tamen omnis particula materiae corporis praesentis aberat a corpore tuo ante decennium; nova substituta est paulatim illi, quae sensim sine sensu decessit. Ergo a pari licebit animae in resurrectione corpus sibi effingere ex qualibet materia etsi ab ea diversa quam in morte deposuit.

Sed manifestum est discrimen. Idem semper nunc corpus gerere dicimur quamvis continuis mutationibus obnoxium, quia singulis vicibus, sive cum corpus augetur sive cum reparatur id quod decedit, materia quae succedit est exigua, quae proinde accedens corpori iam exsistenti non illud mutat, sed eiusdem pars incipit esse transiens in conditionem totius. Non enim corpus dicitur fieri aliud eo quod minimam aliquam accessionem acquirat. An putas templum mutatum iri in aliud, eo quod uni columnae fractae alia substituatur? Itaque facta prima vice aliqua exigua accessione, haec evadit minima pars corporis praeexsistentis et totum quod resultat est idem corpus ac prius: hoc totum vero perinde se habebit ad secundam accessionem, quae eodem pacto non faciet esse aliud corpus cui adiungitur, atque ita porro usque ad mortem.

At si corporeae materiae, quam gestabas ante decennium, absque ulla successione exiguarum mutationum substituas statim materiam, qua nunc potiris, profecto aliud et aliud erit corpus: atqui id est quod contingeret, si in resurrectione aliam materiam anima assumeret, quam heic non gestavit.

7. Argumentum alterum depromunt ex penu reconditae cuiusdam philosophiae. Quid tandem, aiunt, postulatur? ut idem sit corpus: iam vero si *esse* corporis praesentis et *esse* corporis resurgentis est idem, idem erit corpus: atqui idem erit *esse;* quia *esse* corporis est *esse* animae, quae suum *esse* communicat corpori atque idem communicabit in resurrectione quod communicat nunc; ergo, quaecumque sit materia assumpta, idem erit corpus.

Unde sequitur quod si Deus novam materiam ex nihilo crearet pro constituendis corporibus quibus animae coniungerentur, adhuc haberetur resurrectio, quamvis defuncta corpora in sepulcris manerent, quia *esse* quod anima conferret his novis corporibus foret idem ac *esse* quod contulit prioribus. An hic est conceptus christianus resurrectionis? Mirum, quod s. Paulus hanc theoriam ignoraverit, qua possibilitatem resurrectionis absque ulla difficultate evidentissime demonstrasset.

Itaque respondeo 1. nos hanc theoriam non recipere; absurdum enim censemus, *esse* unius entis fieri *esse* alterius entis et nihilominus ea distincta esse, ut sint reapse duo entia.

Respondeo 2. quod quidquid sit de hac theoria, huc perperam producitur; nam non de identitate τοῦ *esse*, sed de identitate *substantiae* in corpore mortuo et corpore resurgente sermo est. Hinc s. Thomas, cui ea theoria affingitur, eius ne mentionem quidem facit in hac quaestione. Cf. locum citatum.

§. 52. — Difficultates, quas humana ratio proponit contra dogma universalis resurrectionis excludit sapientia et omnipotentia divina.

1. Vera difficultas non in eo est, quod idem corpus mortuum statim vel post breve tempus, dum elementa eius adhuc sunt unita, resurgat, quemadmodum contigit in resurrectione Lazari; nam resurrectio non est effectus virtutis animae sed potentiae divinae: quemadmodum vero Deus prima vice coniunxit animam corpori, nihil mirum si iterum coniungat. Spectandum heic non est quid natura possit, sed quid possit Deus auctor vitae, et dummodo ratio teneat, quod certissimum est, Deum esse omnipotentem, nulla causa est cur dubitet de effectu, quem Deus ipse promisit.

2. Quae seriae difficultatis indolem gerit, haec una est, qua videtur reapse effectus impossibilis, ut idcirco nec terminus esse possit divinae omnipotentiae. Nimirum cum per tot secula corpora tantae multitudinis hominum resoluta transierint in substantiam animalium et vegetalium, quibus continue vescuntur homines et quibus propterea eorum

corpora tum ex parte tum ex integro quoque formantur, necessario tandem continget in fine mundi, quod eadem materia ad plurimorum corporum constitutionem spectaverit. At si ita est, quî fieri poterit, ut omnes suam propriam materiam, cui copulati fuerunt, recipiant?

3. Verum ita ne est, ut ponitur? Adverto 1. corpora hominum formari et nutriri posse ex novis semper elementis. Nam gratis sumitur, quod ad constituenda vegetalia, quibus nutriuntur animalia atque homines, ea iamdiu concurrere elementa, in quae resolvuntur corpora humana. An putas, si singula corpora defunctorum hominum ab initio humani generis fuissent inclusa monumentis et in iis mansissent, id fuisse impediturum, quominus homines alerentur non secus ac hactenus alti sunt? Nonne arbores semper novos fructus produxissent? Cur non ex his, frequenter saltem, nutrita animalia dicamus? non est ergo cur credamus, necessario contingere, ut corpora viventium hominum ex iis formentur et nutriantur elementis quae ad corpora olim humana spectabant. Factum scilicet, quod supponitur, certum haud est; nequit idcirco fidem nostram turbare.

Adverto 2. quod cum corpora viventium sint in continuo fluxu et perpetuo sensim sine sensu mutentur, non est postulandum, ut in resurrectione omnis materia resumatur ab anima, quae eidem toto vitae tempore coniuncta fuit; sic enim ingentia et enormia corpora exstarent. Quapropter ex ea materia, quae uni adhaesit, si et aliis copulata fuit, reliquum erit quod et illis aptetur.

Adverto 3. in tanta vicissitudine corporum non repugnare, quod, rem omnem dirigente divina providentia, eorum formatio et augmentum ita sint disposita, ut quaedam portio materiae, ex qua sufficienter corpus humanum instruatur, uni tantum adhaereat. Corpora sane formantur ex elementis olim inorganicis quae per universam tellurem sparsa sunt; nihil ergo prohibet aliquid in singulis occurrere novi, quod sit proprium singulorum.

4. Haec omnia quae diximus ut reapse contingant, nihil aliud requiritur quam ea sapientia atque potentia, quae omnium rerum domina, omnia ab initio praevidens ita res rerumque vicissitudines disponat, ut quod ipsa praestituit reapse obtineat. Atqui haec est sapientia et omnipotentia Dei. Cum ergo Deus resurrectionem velit et quidem eam quam diximus §. praecedenti, dubitandum non est quin talis sit reapse futura.

Itaque ad hunc effectum non requiritur nisi specialis quaedam providentia, quam non defuturam divinum de resurrectione decretum certos nos facit. Cf. praeclarum opus Athenagorae *De Resurrectione.*

§. 53. — **Frustra quaeritur, ubi sit futurum iudicium: iusti obviam Christo per aera procedent et a dextris eius stabunt, relictis reprobis in tellure a sinistris: una cum Christo iudicaturi Apostoli eius sedebunt et quod probabilius saltem censemus, non insensibili modo peragetur iudicium.**

1. Sane cum tanta sit multitudo iudicandorum, non est cur quaeras, ubi sit futurum iudicium, cum potius dubitare liceat, an totum spatium hemisphaerii telluris, unde iudex conspici possit, sufficiens sit capiendae tantae multitudini. Cum vero certum sit adstituros omnes homines ad Tribunal Christi, Matth. XXV. 32. 2. Cor. V. 10. non est aeque certum, adstituros omnes simul: ut idcirco, si opus sit, arbitrari liceat, turmas ingentes alias post alias subituras iudicium.

2. Aequior est interrogatio, cui parti telluris solium Christi nubibus insidens respondebit. Popularis est enim opinio, vallem Iosaphat futuram, propter verba Ioelis III. 2. *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus.*

Verum propheta non de extremo iudicio loquitur, sed de illo, quo Deus iudicaturus et puniturus erat gentes, quae populum suum afflixerant, ut ex contextu liquet. Praeterea tropica est locutio *in vallem Josaphat;* nec enim gentes, quas Deus punivit, in vallem aliquam deductae fuerunt. Nomen *Josaphat* valet *Iahve iudicat:* videri quidem censet Gesenius (Thes. p. 581.), regem Josaphat nomen dedisse valli, quae est Hierosolymam inter et montem Olivarum: at valde incertum est, ait Knabenbauer in hunc locum Ioelis, utrum huius nominis vallis exstiterit. Nil mirum autem, si Christus rediturus sit unde discessit, ut pro tribunali sedeat super montem olivarum aut Ierusalem: « probabiliter, ait s. Thom. (Suppl. q. 88. a. 4.), potest colligi ex Scripturis quod circa locum montis Oliveti descendet, sicut et inde ascendit, ut idem esse ostendatur qui descendit et qui ascendit ». Sed non est opus ut in his investigandis immoremur, quae oculis nostris tandem conspecturi sumus: quaestionis proinde solutionem reiicimus in illum diem.

3. Quod secundo loco affirmamus efficitur ex verbis Pauli 1. Thess. IV. 15. 16. Apostolus de iustis tantummodo loquitur: quibus se ipse connumerat: ait porro: *Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis* (qui nempe in Christo sunt) *obviam Christo in aera et sic semper cum Domino erimus.* Iam se prodit agilitas corporis sanctorum glorificati. Quod autem hi adstituri sint a dextris iudicis,

nos docuit ipse Christus Matth. XXV. 32. 33. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.* Verum haec iam praeoccupavimus superius. Cum de iustis tantum id dicatur, quod rapientur obviam Christo in aera, relinquitur, reprobos in tellure mansuros: et sane nec digni erunt, qui qualitate corporis gloriosi ditentur, nec obviam Christo processuri sunt veluti eius familiares et comites.

4. Affirmamus tertio Apostolos cum Christo iudices sessuros, quod ita accipi volumus, ut haec dignitas sit ipsis peculiaris, non communis ceteris, qui reliquerunt omnia pro Christo.

Matth. XIX. 27. seqq. cum Petrus dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis,* ubi vides Petrum de se suisque fratribus tantummodo loqui, Christus respondit: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* Duos ordines distinguit Christus, tum Apostolorum; *vos*, tum ceterorum: *et omnis qui;* porro sessio in iudicio solis Apostolis promittitur: *vos sedebitis*, vos, inquam, Apostoli, qui quaesivistis *quid erit nobis.*

Dices: Christus promissionis suae rationem reddit inquiens: *qui secuti estis me;* atqui hoc non solum Apostolorum sed omnium iustorum proprium est: ergo et hi quoque cum Christo iudicabunt.

Respondeo 1. nimis augeri numerum assessorum Christi in iudicio.

Respondeo 2. non esse separanda, sed ad instar unius haec duo esse accipienda; *vos, qui secuti estis me*, ut sequela Christi utique intelligatur, sed quae propria fuit Apostolorum, qui primi secuti sunt Christum et ceteros ei adunarunt, fundantes Ecclesiam. Illud *vos* ab initio positum emphasim habet. Eadem sententia occurrit apud Lucam XXII. 29. 30. *Et Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut... sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.*

5. Quaeres, ubi ergo sedebit Paulus? respondeo, cum Apostolis: quoniam enim, auctore Christo, parem cum ceteris dignitatem nactus est Apostolatus (Gal. I. 1. II. 6.), consequens est, ut iisdem gaudeat praerogativis. Nec est, cur putes tribum Levi esse praeteritam; nam, cum ea esset dispersa in ceteras tribus, sub nomine duodecim tribuum et ipsa veniebat: ita sane in testamento veteri, quod omne semen

Abrahami in duodecim tribus tantum dispescit. Ex. XXIV. 4. XXVIII. 21. 3. Reg. XI. 30. Eccli. XLIV. 26. nusquam autem sermo est de tredecim tribubus; et Iacobus scribens ad Israelitas dispersos, non exclusit profecto Levitas: mittit autem epistolas *ad duodecim tribus quae sunt in dispersione*. Hoc igitur est privilegium Apostolorum, ut sedeant cum Christo iudice, hoc praemium est perfectionis Apostolorum, ait Thomas heic.

6. Porro quod aliis infra promittitur manifestum est ipsis quoque Apostolis competere; nam et in ipsis vere exstitit conditio requisita: *qui reliquerit domum* etc., omnia enim, ut aiebat Petrus, reliquerunt Apostoli: sed Apostolis aliquid insuper speciale additur, quod proprium est ipsorum; qui propterea ab aliis secernuntur *per excessum*, vi cuius ordinem constituunt specialem; sunt enim fundatores Ecclesiae, regni scilicet caelorum, principes constituti super universam terram et Christo propinquissimi.

Cur vero dictum est: *duodecim tribus Israel?* an eos tantum iudicabunt? Respondet Caietanus: ad cumulum honoris spectat esse iudicem populi proprii, praesertim totius, et propterea non unius sed omnium tribuum Israel Apostoli Israelitae promittuntur futuri iudices, ut ex hoc intelligamus, quod multo magis erunt iudices omnium aliarum nationum ». Cf. Knabenbauer in h. l.

7. Quaeres, quo redeat haec potestas iudiciaria Apostolorum. Certe non est univoca potestati Christi, cui soli a Patre datum est omne iudicium Ioan. V. 22. qui solus suprema potestate et iurisdictione in omnes potitur; sed est potestas analoga. Theologi cum s. Thoma (cf. Suppl. q. 89. a. 1.) consent sanctos esse iudicaturos tum *per comparationem*, quatenus eorum vita erit reprehensio reproborum, *per consensum* quatenus probabunt sententiam iudicis, *quasi assessores*, quod similitudinem iudicis habet, quatenus sedebunt in loco eminentiori. Hunc tertium modum non omnibus sanctis, communem faciunt. Cf. Suarez in 3^{m} p. tomo 19. d. 52. 1. 4. Cum nihil certi in hac re sit, si velimus, quoad eius fieri potest, verborum Christi ad Apostolos vim retinere, censemus iudiciariam potestatem Apostolorum huc redire, ut sit primo excellentia quaedam honoris, qua secreti a ceteris sedeant cum Christo iudice, tanquam eius assessores, ut proinde secundo Iudex sententiam proferat non tanquam a se solo profectam, sed una cum ipso ab assessoribus suis, qui propterea tertio nisi Christus veniret, ipsi essent auctoritate eius mundum iudicaturi.

Verum nonne et Apostoli inter iudicandos recensendi sunt? Profecto, sed iudicium de ipsis hoc pacto coram omnibus fiet, ut assessores Iudicis constituantur.

8. At contra enuntiatum Apostolorum privilegium proferre licet verba Apostoli 1. Cor. VI. 2.-3. *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia.*

In primis ut et de fidelium iudiciis per transennam dicamus, censeo advertendum, iudicium, quod Apostolus vult committi fidelibus iisque qui in Ecclesia sunt contemptibiles, non esse iudicium cum iurisdictione poenas infligendi, sed merum iudicium arbitrorum, cui tamen acquiescere consulit fideles litigantes. Agitur enim de quaestionibus quae exoriantur inter ipsos fideles circa res temporales *τὰ βιωτικὰ*, quae nempe ad vitam quotidianam spectant: porro cum in his Ecclesia iurisdictionem non habeat, neque eam potest committere fidelibus, sed exhortari licet fideles, ut contenti sint iudicio arbitrario fratrum. Si autem lis erat inter fidelem et infidelem, et actor erat fidelis, is ad tribunal infidelis provocare debebat nec id poterat Paulus impedire; actor enim sequitur forum rei: si autem actor erat infidelis, hic provocasset fidelem ad tribunal gentile, cui ex lege hic suberat, neque integrum eidem fuisset, hoc iudicium declinare, posita debita subiectione civilibus potestatibus, quam commendaverat Apostolus. Loquitur ergo Apostolus de controversiis, quae inter fideles excitentur et consulit, ut fideles acquiescant arbitrio fratris: consulit, inquam; nam profecto prohibere nequibat, ne, dummodo cetera honeste fierent, fidelis adiret proprium iudicem a lege statutum, qui, isque solus, in ipsos veram iurisdictionem habebat in temporalibus et civilibus negotiis.

Ut ergo Paulus persuadeat, non dedecere, ut fideles vel contemptibiles constituantur iudices arbitrarii fratrum, affert argumentum a maiore ad minus, sanctos nempe esse tunc mundum iudicaturos, imo et ipsos Angelos. Cum de re futura loquatur Apostolus, et agatur de iudicio mundi *οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσιν*, pronum est inferre, sermonem esse de extremo iudicio; ergo privilegium, quod tribuimus Apostolis, erit reapse commune omnibus sanctis, qui tunc non erunt nisi electi.

9. Verum est, sanctos omnes esse iudicaturos una cum Christo, quocum tanquam capite unum efficiunt corpus mysticum, neque id mirum: si enim sancti cum Christo dicuntur *con*crucifigi (*συσταυροῦσθαι* Rom. VI. 6. Gal. II. 20) *com*mori (*συναποθνήσκειν* 2. Tim. II. 11.) *con*sepeliri (*συντάπτεσθαι* Rom. VI. 4.), *con*vivificari et *con*resurgere (*συζωοποιεῖσθαι, συνεγείρεσθαι* Eph. II. 5. 6. Coloss. II. 13. III. 1.) *con*vivere (*συζῆν* 2, Tim. II. 12. Rom. VI. 8.) *co*heredes fieri

(συνκληρόνομοι γένεσθαι Rom. VIII. 17.) *con*glorificari (συνδοξάζεσται Rom. VIII. 17.) *con*sedere in caelestibus (συγκαθίζεσθαι ἐν ἐπουρανίοις Eph. II. 6.), *con*regnare (συμβασιλεύειν 2. Tim. II. 12.) profecto nil mirum, si et cum Christo sint *con*iudicaturi. Verum discrimen est in hoc consortio. Sancti quidem iudicabunt mundum; quia ergo ex una parte iudices sunt omnes sancti, reliqui iudicandi non erunt nisi reprobi: at Apostoli etiam iustos et electos iudicabunt, iudicaturi enim sunt ceteros, qui non sint Apostoli. Quapropter Apostoli non tantum generali formula dicuntur iudicaturi, sed sessuri super thronos una cum iudice, quae formula specialem dignitatem significat. Angelos vero, quos sancti iudicabunt, non putamus esse nisi malos, qui eorum, a quibus vincti fuerunt, servi sunt effecti; hanc sane interpretationem suggerit praecedens affirmatio, sanctos esse iudicaturos mundum h. e. reprobos; ergo et Angelos reprobos iudicabunt. Sane Angeli boni, qui unam cum sanctis Ecclesiam constituunt, cum ipsis sanctis in iudicio sunt potius connumerandi.

10. Angelos malos esse iudicandos, saltem quoad actiones eorum, quae hominum actionibus fuerunt commixtae, ut censet s. Thomas (cf. Suppl. q. 89. a. 8.) manifestum est ex verbis Iudae v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Magnus dies ἡ μεγάλη ἡμέρα est dies extremi iudicii.

11. Iudicium, quo sancti iudicabunt, videtur expressisse auctor Sapientiae V. 1. seqq. *Tunc stabunt iusti in magna constantia* (ἐν πάρρησίᾳ πολλῇ con gran franchezza) *adversus eos, qui se angustiaverunt et abstulerunt* (despexerunt) *labores eorum. Videntes* (hi) *turbabuntur timore horribili... dicentes intra se... hi sunt quos habuimus aliquando in derisum... Nos insensati* etc. Iudicium est, quod Theologi vocant, ut superius vidimus, *per comparationem.*

12. Quaeres, quem locum velimus concedere b. Deiparae? Cum ipsa ordinem specialem constituat cum Filio suo eiusque praerogativas omnes, quatenus creatura fert et matrem decet, participet atque idcirco communibus legibus non teneatur, dubitandum non est, quin opus sit disserta testificatione, de praestantissimo loco, quem Mater Domini prope Filium suum in eo sollemni consessu obtinebit.

13. Censet s. Thomas (cf. Suppl. q. 88. a. 2.), quod iudicium tum quoad disceptationem qua merita et demerita deteguntur, tum quoad sententiam iudicis, perficietur non per locutionem vocalem sed mentaliter, ita ut nulla vox, iudicis quoque, sit audienda, sed tota actio per apprehensionem intellectivam absolvenda sit. Id quidem ut probabilius tantummodo proponit, quia « quid circa hanc quaestionem

sit verum, pro certo definiri non potest ». Ratio, quae affertur, solam tangit disceptationem; « si enim singulorum facta vocaliter narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur », sicut etiam Augustinus dicit (*Civ. Dei* l. 20. c. 1.). Inde concludit, « probabile esse, quod illa, quae dicuntur Matthaei XXV. (ubi et sententia Iudicis refertur) non vocaliter sed mentaliter intelligenda sint esse proferenda ».

14. Itaque si de disceptatione quaestio fit, non est, cur negemus eam mentaliter faciendam esse quatenus illustrentur mentes singulorum, ut cuiuscumque opera a singulis prout opus est cognoscantur. Sed probare non possumus, quod omnia mentaliter peragentur in silentio, ut ex tanta multitudine scena muta consistat, nemine, neque ipso iudice edente vocem. « Quia cum illud iudicium futurum sit sensibile et inter homines qui se mutuo sensibiliter conspiciunt, videtur etiam conveniens, ut aliqua ratione fiat locutione sensibili, qui modus est hominibus maxime accomodatus et ad maiorem bonorum honorem, iniquorum vero confusionem pertinens ». Ita Suarez l. c. sect. 9. Quid prohibebit iniquos voces emittere desperationem suam exprimentes, illudque dicere, quod est apud Sapientiam vel quid simile: *ergo erravimus a via veritatis; nos insensati! lassati sumus in via iniquitatis et perditionis* V. 4. seq.? Cur non licebit Sanctis exprobrare irrisores et persecutores suos, suamque exultationem et gaudium coram hostibus suis et gestu et lingua praeseferre? Id profecto sponte sua consequetur ad humanam naturam in integritatem suam restitutam, ut interiores affectus erumpant exterius et cum revixerint homines, more humano se gerant, non angelico.

15. Ad sententiam iudicis quod spectat, certe nihil impedit quominus exterius sonet atque aures cunctorum percellat: porro si ita est, dignitati illius consessus congruit, qui ex hominibus constat, ut voce sensibili proferatur. Nec opus est ut respondeamus sciscitanti: quo idiomate Christus sit usurus. Deus enim hunc effectum praestare potest, ut quis uno sermone utens ab omnibus, ad quancunque linguam sint assueti, intelligatur.

§. 54. — Certum est, omnium hominum actiones, super quibus ferenda est sententia, esse in apertum produturas, omnes homines, qui libertate sua sunt usi esse iudicandos, omnia non uno instanti temporis esse facienda: sententiam tandem inappellabilem ex iustitia pronunciandam esse.

1. Distinguimus certa a minus certis. Iudicium universale non eo tantum spectat, ut omnes homines iudicentur, sed praeterea ut iudi-

centur publice, ita ut omnibus pateat quod de singulis iudicatur. Id Apostolus significare voluit cum ait 1. Cor. IV. 5. *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* Ut compescat libidinem, qua aguntur homines iudicandi aliorum actiones, advertit, hoc fieri ante tempus: tempus erit cum veniet Dominus et cognoscibilia reddet quae nunc sunt abscondita, et non solum actiones externas sed et internas manifestabit, tunc licebit de aliis rectum ferre iudicium. Nisi eo die actiones tum externae tum internae hominum singulis fiant notae, sensu careret admonitio Apostoli, cum nunc non simus minori notitia instructi, quam futuri sumus eo die. Quoad sensum ultimi incisi cf. Cornely, comm. in h. l.

Et sane iam singuli homines (exceptis iis paucis quos vivos iudex inveniet) iudicati sunt secreto; iudicium illud postremum publice agetur, convenientibus una ante iudicem omnibus hominibus; est autem de ratione publici iudicii, ut actiones iudicandorum in apertam lucem producantur, cunctisque adstantibus notae fiant. Id praeterea postulat finis extremi illius iudicii, qui est gloria Dei et Christi eius, ut manifesta fiat rectitudo divinae Providentiae in tot vicissitudinibus humani generis, ut coram sanctis reprobi pudore suffundantur, et vicissim sanctis ab ipsis reprobis vel invitis restituatur honor pro contumeliis quibus eos heic affecerunt, ut iustitia iudicis quoad singulos in retributione praemii aut poenae evidenter ab omnibus agnoscatur.

2. Diximus *actiones super quibus ferenda est sententia.* Nam has publicari oportebit eo ipso quod publicum erit iudicium singulorum; at quaestio est, an peccata remissa iustorum, imo et reproborum, pro quibus nulla amplius poena exigitur, sint in publicum proferenda. Habita tantum ratione iudicii id negandum videtur; nam per se in iudicium non producuntur nisi eae actiones, super quibus cadere sententia potest: at de huiusmodi actionibus nulla est proferenda sententia. Accedit, testari Deum in Scripturis se non amplius recordaturum iniquitatum de quibus peracta fuerit poenitentia Ezech. XVIII. 22., recordaturum scilicet ad vindictam sumendam et infligendam poenam: ergo neque ad instituendum iudicium, quod eo tandem spectat, si de peccatis agitur.

3. Nihilominus teste Suarez op. cit. disp. 57. s. 7. communis est Theologorum sententia, etiam peccata remissa esse manifestanda: argumenta tamen quae proferuntur, quaedam non efficiunt quod intenditur, quaedam probabilitatem vix suadent. Citatur Matth. XII. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Si verbum otiosum, quod est peccatum veniale,

multo magis mortalia. At agitur heic non de mera manifestatione, sed de subeunda poena, huc enim spectat *reddere rationem*, ut si quid minus recte gestum est vel compensetur vel poena luatur. Loquitur ergo Christus de verbis otiosis non remissis.

Eccle. ult. vers. *Cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* Loco *roō errato* legendum ex hebr. *occulto*. Habemus, Deum omnia facta iudicare, quod certe heic praestat, exigens quoad mala sive poenitentiam sive poenam: quo circa non est opus, ut haec de extremo universali iudicio accipiamus, ad quod auctorem alludere gratis affirmas.

Producitur et ex 1. Cor. IV. 5. textus, quem heic ab initio citavimus, sed verissima manet eius sententia, quamvis peccata non remissa tantummodo manifestentur: affertur et textus ex 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum.* At si manifestamur, ut referamus propria corporis h. e. ut rependantur nobis quae gessimus gerentes corpus (cf. §. 40.), evidens est agi de actionibus, quibus praemium vel poena retribuenda est, ideoque peccata remissa heic non habere locum.

4. Ratio colligitur ex indole et scopo huius extremi iudicii. Sane ut consilia divinae Providentiae in regimine totius communitatis humanae singulorumque hominum innotescant et ita debita Deo gloria comparetur, ut perfecte singuli evadant manifesti, ad id profecto conducet ostensio misericordiae adhibitae erga plurimos, quorum peccata tandiu sunt tolerata, tum distinctio inter poenitentes et innocentes quoad electos, quoad reprobos vero inter maximos et minimos peccatores. Quapropter probabile est peccata etiam remissa nota fieri in eo iudicio, atque idcirco pariter bona opera, si qua fuerint, reproborum.

5. Quod spectat ad eos, qui sunt iudicandi, certum est omnes homines, qui vel bene vel male egerunt, esse iudicandos; huc enim faciunt tot testimonia quae hactenus adduximus. Audivimus Apostolum dicentem, omnes prout gesserunt sive bonum sive malum esse iudicandos; hi autem sunt qui libertate sua sunt usi. Librorum aperitio Apoc. XX. 12. 13. ipsa est conscientiarum manifestatio auctoritate iudicis facta, quos libros acta sanctorum pariter et reproborum continere aequum est censere, si ex illis omnes sunt iudicandi: libri autem hi discernuntur a libro vitae ibid. 12. 15. Sed quaestio est, an pueri qui ante usum rationis excesserunt, iudicandi sint et praecipue quaestio est de iis, qui sine baptismo vel sacramento, dum vigebat lex naturae, defuncti sunt.

Augustinus, qui infantes non regeneratos igni addicebat, id absque

dubio affirmat. S. Thomas e contrario censet, « quod etiam pueri ante perfectam aetatem decedentes in iudicio comparebunt, non ut iudicentur, sed ut videant gloriam iudicis » (suppl. q. 89. a. 5. ad 3[m]). Suarez cum aliis putat circa hos pueros non esse quidem exercendam discussionem operum; nihil enim egerunt, sed audituros esse pro se vel contra se sententiam vel benedictionis vel damnationis, quae sit tantummodo exclusiva a regno. Si consulimus Scripturas, eae loquuntur de iis tantum qui actu operati sunt, sive bonum sive malum. Cf. Matth. XXV. 34. seqq. 2. Cor. V. 10. Matth. XII. 36. 2. Tim. IV. 8. Attamen quoniam et hi infantes sententiae cuidam sunt obnoxii, qua ipsis vel corona gloriae, propter merita Christi, vel exclusio a gloria propter peccatum Adami constituatur, non video cur id quod dictum est eorum animabus in exitu vitae, repeti iisdem nequeat cum resurrexerint, coram omnibus in publico iudicio. Ita omnium hominum sors firmata erit in aeternum, qui est effectus huius supremi iudicii.

6. Sunt qui negarunt, infideles esse iudicandos per actum discussionis, quamvis concederent iudicandos per pronuntiationem sententiae. Perperam provocares ad verba Psalmi I. 5. *Non resurgent impii in iudicio* et similia, in quibus nec directe sermo est de extremo iudicio, et si sermo foret, nedum discussio, sed sententia quoque excludenda foret, nam et haec ad iudicium spectat: denique impii sunt et inter fideles. Quid sibi velint haec verba liquet ex altero hemistichio: *Neque peccatores in consilio iustorum.* Scilicet impii, peccatores non stabunt sed cadent in iudicio divino nec sedebunt in consessu iustorum, pares illis in fiducia coram Deo.

7. Producuntur verba Domini Ioan. III. 18. *Qui non credit iam iudicatus est:* verum quid inde inferas? non iudicandum in extremo iudicio quia iam iudicatus est? si ita est, nec iudicabuntur in extremo iudicio quotquot iam in particulari iudicati sunt, in his enim plenissime valet quod iam iudicati sint: et sic quo redibit iudicium universale? Sensum verborum Christi explicat quod immediate sequitur: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* De eo videlicet iudicio loquitur Christus, quo quis se ipsum condemnat respuens lucem, quae ipsi affulget, quemadmodum Paulus Tit. III. 11. de haeretico dicit, quod *sit proprio iudicio condemnatus.*

8. In verbis Cristi Ioan. V. 24. *Qui verbum meum audit et credit ei qui me misit, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transit a morte ad vitam,* iudicium est condemnatio: qui credit Filio non condemnatur, non est sub condemnatione, sicut a contrario *ira Dei manet super eum, qui incredulus est Filio,* Ioan. III. 36. Iudicium

vero interdum in malam partem accipi, h. e. condemnationem ex oppositione liquet, ut in verbis Christi Ioan. V. 29. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae*, h. e. ad vitam, nempe aeternam; *qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii, h. e. ad condemnationem.*

Non est ergo cur negemus infidelium opera discutienda esse, ut eorum reatus maior vel minor appareat, manifestumque fiat, ipsos sua culpa damnari.

9. Quid igitur est, quod Christus specimen exhibens iudicii Matth. XXV. 34. seqq. colloquium refert quod soli christiani capere possunt? Eo ipso quod exemplum proponit, unam refert speciem bonorum operum pro toto genere, quod in exemplis facere solemus: speciem vero illam expressit, quae cum doctrina sua maxime congruit; lex enim Christi est lex caritatis. Neque tamen ea, quae ibi singillatim dicuntur cunctis aptantur christianis, sed caritas commendatur et docemur, Iudicem redditurum cuique secundum opera eius (Knabenb. hoc loco). Forma vero colloquii qua Christus rem proponit, ad ornatum, puto, spectat, ut vividius res repraesentetur. Sane non credimus sanctos ignoraturos Christum in pauperibus exhiberi.

10. Disputari solet, an Angeli quoque sint iudicandi. Et quidem si de Angelis malis quaestio fit, affirmandum est, testante Iuda v. 6. eos *in iudicium magni diei reservari:* cf. et 2. Petri II. 4. Nec idonea deest ratio, cum peccata hominum ipsis referantur in acceptis et oporteat iustos de ipsis sollemniter triumphare: ut affirmet Apostolus quod et *Angelos iudicabimus* 1. Cor. VI. 3. quos Angelos esse malos iam diximus videri nobis. Christus utique sententiam referens quam est prolaturus, directe id expressit tantum quod ad homines spectat Matth. XXV. 41.: verum, ut iam monuimus, Christus non omnia retulit, sed quaedam tantum *ἐν τύπῳ*.

11. At de Angelis bonis tunc iudicandis nihil extundere cum certitudine ex Scriptura valemus. Venturi profecto sunt cum Cristo, sed tanquam ministri eius Matth. XXV. 31. coll. XXIV. 31.: nec ratio probabilis apparet, cur tunc post tot secula elapsa perfectae possessionis beatitudinis, sint subituri iudicium nihil habens quod ipsis conferat.

12. Non est putandum, quod uno instanti vel brevissimo tempore absolvendum sit iudicium. Cum agatur forma sensibili inter homines et discussioni in pluribus interlocutio sensibilis misceatur §. 53. nec ulla sit causa festinationis, non est credibile, quod tantus apparatus vix ac aparuerit evanescat. Praesertim si, ut theologi opinantur, pro singulis sententiae singulares in tanta multitudine sunt proferendae Suarez l. c. 5. 9. Quamvis id non recipias, necesse tamen erit, quod ex

singulorum discussione constet quid quisque mereatur, quod non breve tempus requiret; qua notitia apud singulos exsistente, Iudex existimationem singulorum sententia sua iudiciali cumulabit, altera pro sanctis, altera pro reprobis, applicanda iuxta merita vel demerita propria singulorum.

13. Atque iudicio finem imponet Iudex duplici prolata sententia, cuius vim mox expendemus; nam ea lata *ibunt reprobi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* Matth. XXV. 46.

DE INFERNO

Supplicii locus nomen accepit Inferni eo quod subtus terram esse censeatur: an ita reapse sit, videbimus deinceps. Nunc sub hoc vocabulo ipsas poenas intelligimus, quarum meminit sententia iudicis.

Heic duae occurrunt quaestiones principales, 1ª de qualitate ignis, 2ª de aeternitate poenarum.

§. 55. — Ignis infernus non est metaphoricus sed realis: etsi alterius generis sit ac noster in terris et vere cruciat damnatos.

1. Ignis, de quo sententia iudicis loquitur, foret metaphoricus, si nulla esset ipse causa extrinseca, a qua tanquam instrumento divinae vindictae paterentur damnati, sed esset tantum quaedam animi poena vel eius effectus; hoc enim sensu accipimus, ignem metaphorice dici.

Atqui ignem non esse metaphoricum patet *a)* ex verbis ipsius sententiae: *discedite.... in ignem;* nam ita significatur, ignem esse aliquid prorsus distinctum ab homine, in ea enim pergimus seu discedimus, quae sunt aliquid aliud a nobis (a). Et sane hic ignis iam ante ipsos homines damnandos exsistebat: *paratus* enim *fuit diabolo et Angelis eius*, ut ait iudex, qui quidem *vinculis aeternis sub caligine reservati sunt in iudicium magni diei* Iud. 6.

Et re quidem vera *b)* nisi iam metaphora sit usa trita et communiter usurpata, ea non est praesumenda, sed probanda: atqui nulla probatio affertur huius metaphorae hoc in loco; quod enim aiunt, non posse ab igne affici spiritum, expendemus paulo post. Nec cum Chri-

---

(a) Christus ait quoque ibid. v. ult. *ibunt iusti in vitam aeternum,* quae non est tamen aliquid distinctum seorsim ab ipsis: verum 1° par non est locutio; satis enim evidens est vitam esse aliquid viventis, ut haec altera locutio necessario sit elliptica: 2° in sententia iudiciali duplex est terminus expressus, *a quo* et *ad quem, a me, in ignem.* Ceterum animadversio subsequens rem, puto, conficit.

stus revelabat Apostolis Matth. XXV. 41. ultimam sententiam iudicialem, erat ea locutio metaphorica usu trita, ut facile posset intelligi. Imo non pauca sunt, quae obstant metaphoricae interpretationi.

2. In primis enim sententia heic exhibetur iudicialis: atqui opus est sententiam iudicialem claris et perspicuis verbis proferre, nec solent prudentes iudices metaphoras adhibere, cum proferunt sententiam. Deinde frequentissimus est usus huius dictionis *ignis* vel similis in ore Christi et Apostolorum cum de poena loquuntur alterius vitae: atqui significatio propria vocabuli frequentior est quam metaphorica, cum illius usus adhuc communiter obtinet. Iam vero Christus meminit *camini ignis*, ubi zizania, h. e. reprobi, consummato seculo comburentur Matth. XIII. 41. 50. *flammae* in qua cruciantur damnati Luc. XVI. 24. *ignis inexstinguibilis* Mar. IX. 44., Ioannes meminit *stagni ardentis igne et sulphure* Apoc. XXI. 8. atque *fumi* tormentorum ibid. XIV. 11. Paulus *flammae ignis* 2. Thess. I. 8. atque *ardoris ignis* ad Hebr. X. 27.

3. Praeterea Christus poenam alterius vitae sub imagine *gehennae*, *gehennae ignis* repraesentat Matth. V. 22. 29. 30. X. 28. Luc. XII. 5. etc. iamvero *gehenna* est hebraicum גֵּי הִנֹּם *gehinnom* vallis Hinnom quae et vocatur גֵּי בְנֵי הִנֹּם vallis filiorum Hinnom, in qua crudelissima exercebatur puerorum mactatio per ignem in cultum Molochi, et in eadem valle locus eminebat *tophet* dictus, saevae illi liberorum immolationi destinatus, de quo cf. Isaiam XXX. 33.

Ad quem locum alludens idem propheta XXXIII. 14., poenam impiorum sub poena adumbrans Assyriorum, exclamat: *quis poterit habitare de vobis* (hebr. ipsi impii sunt, qui clamant: *quis nostrum poterit* etc.) *cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ut satis liqueat, imaginem ex gehenna seu ex tophet a Christo adhibitam iam fuisse praeoccupatam a propheta. Cf. Knabenbauer Comm. in Isaiam utroque in loco citato. Atqui ignis gehennae causa erat extrinseca, infantes horribiliter crucians.

4. Ergone eodem igne quo nos utimur cremantur damnati? Id profecto non dicimus. Sane novimus plura esse discrimina. Ignis noster chimicis operationibus excitatur atque fovetur, est enim non elementum sed phaenomenon materiae certum gradum nactae caloris, quae in tenuissimas particulas abiens flamma evadit, alitur elemento quod comburitur, corpora comburendo resolvit, in spiritum autem non agit nisi medio corpore: at ignis infernus nequit illam originem habere, corpora damnatorum ipsum non alunt, eadem ipse adurit sed non resolvit atque spiritum immediate torquet.

Cur ergo ignis vocatus est? Quia nimirum effectus quosdam perinde ac ignis producet, et quia nihil est inter naturales causas, quas novimus, quod magis accedat ad illius similitudinem, quam noster ignis. Christus proinde intelligi volens usus est nostro vocabulo quod significat ignem. Quae docet hac in re s. Thomas (Suppl. q. 97. a. 6.), cum pendeant ex falsa notione ignis, quam veteres conceperant, minus nos iuvare possunt.

5. Non dubitamus causam esse quandam materialem, quae tanquam instrumentum acta a divina virtute torqueat damnatos: *flatus enim Domini succendit Tophet,* Isai XXX. 33. Et sane si materialis non est ille ignis, erit spiritalis, at cum sit quid per se stans, distinctum ab iis quae torquet, erit substantia; spiritualis autem substantia est ens intelligens: at absurdum est per huiusmodi tanquam per instrumentum torqueri corpora.

6. Augustinus quidem (*de Gen.* ad litt. l. 12. c. 32.) censet locum inferni non esse corporalem. « Est ergo prorsus, ait, inferorum substantia, sed eam spiritualem arbitror esse, non corporalem ». Et paulo ante ibidem « Quamvis non sint corporalia sed similia corporalibus, quibus animae corporibus exutae afficiuntur seu bene seu male... sunt tamen et vera laetitia et vera molestia facta de substantia spirituali ». Qua in re adverte, id quod s. Doctor vocat spirituale, esse quid medium inter corporale et intellectuale, cuiusmodi sunt similitudines corporum quae in somniis apparent, id sane constat ex universa disputatione, quam in eo libro ipse instituit. Utique si infernus non est corporalis, neque talis erit ignis; sed quid sit iste infernus et ignis spiritualis difficile est captu. S. Thomas (suppl. q. 97. a. 5. ad 2.) respondet... quod dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille, ad quem animae deferuntur post mortem, non esse corporeus; quia anima in eo corporaliter non exsistit, per modum scilicet quo corpora exsistunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut angeli in loco sunt. Vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando et non determinando, sicut saepe facit in libris illis ».

Hanc alteram quoque responsionem ibid. q. 70. a. 3. adhibet Thomas ad verba Augustini secundo loco citata: « Dicendum quod Augustinus loquitur inquirendo: unde etiam alium modum ponit determinando in l. 21. c. 10. *de Civit. Dei* », ubi « dicit quod sicut anima in hominis conditione iungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale hoc corporale, et ex illa coniunctione vehementer concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni ut accipiens ab eo poenam, et ex illa coniunctione concipit horrorem ».

Altera responsio s. Thomae ad citatam Augustini sententiam nobis

magis probatur, ut idcirco liceat singularem Augustini parumque intelligibilem seponere opinionem.

7. Itaque restat quaestio, quomodo ille ignis, qui est materialis, torqueat spiritus, daemones nempe et animas quoque ante resurrectionem. Si sermo esset tantum de hominibus, cum sententia iudicis feratur in ipsos post resumpta corpore et testimonia Scripturae fere omnia ad poenam post iudicium applicare liceret, non haberetur gravis difficultas: sed est ignis paratus diabolo, ignis qui divitem vix ac mortuus est, cruciat: idcirco difficultas semper manet, quomodo ignis cruciet et spiritus. Nec est cur ab hac poena eximantur animae ante resurrectionem, sicut nec eximuntur animae in Purgatorio.

S. Thomas op. cit. q. 70. a. 3. tribus primum reprobatis sententiis, suam statuit. Prima sententia est... quod hoc ipsum quod est ignem videre sit ab igne pati », altera est, quod « anima apprehendit ignem ut nocivum sibi et ad talem apprehensionem afficitur timore et dolore ». Tertia est: « quod ille ignis corporeus considerari potest dupliciter, uno modo secundum quod est res quaedam corporea, et hoc modo non habet quod in animam agere possit: alio modo secundum quod est instrumentum divinae iustitiae vindicantis... instrumentum autem non solum agit in virtute propriae naturae, sed etiam in virtute principalis agentis: et ita non est inconveniens, si ignis ille, cum agat in virtute spiritualis agentis, in spiritum agat hominis vel daemonis ».

Legi potest apud s. Doctorem reprehensio primae et secundae sententiae: tertiam, quae aliquid continet veritatis, sic refutat. « Sed istud etiam non videtur sufficere; quia omne instrumentum in id, circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem et non solum illam, secundum quam agit in virtute principalis agentis, imo exercendo primam actionem oportet quod efficiat hanc secundam... Unde oportet dare igni aliquam actionem in animam, quae sit ei connaturalis, ad hoc quod sit instrumentum divinae iustitiae ». Atqui hanc actionem connaturalem haec sententia negat igni.

En sententia s. Thomae. « Et ideo dicendum quod corpus in spiritum naturaliter agere non potest nec ei aliquo modo obesse vel ipsum gravare, nisi secundum quod aliquo modo corpori unitur, sic enim invenimus, quod corpus quod corrumpitur aggravat animam (Sap. IX.). Spiritus autem corpori unitur dupliciter: uno modo ut forma materiae ut ex eis fiat unum simpliciter, et sic spiritus unitus corpori et vivificat corpus et a corpore aliqualiter aggravatur: sic autem spiritus hominis vel daemonis igni corporeo non unitur. Alio modo sicut movens mobili vel sicut locatum loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco, et secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur ita

in uno loco exsistentes quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex sua natura habet, quod spiritum incorporeum loco definitum *detineat*, ut ita alligetur illi loco quod ad alia divertere non possit, cum spiritus non sit ita in loco naturaliter ut loco subdatur. Sed *hoc superadditur* igni corporeo, in quantum instrumentum est divinae iustitiae vindicantis, quod *sic detinet spiritum* et ita efficitur ei poenalis, retardans eum ab exsecutione propriae voluntatis ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult ».

8. Non una est difficultas. Cum s. Doctor postulet praevertentem actionem quandam corporis connaturalem in spiritum, ipse assignat rei corporeae hanc actionem in spiritum nempe *definitionem loci:* atqui heic nulla est actio corporis in spiritum; quod enim spiritus creatus sit in loco et non ubique, quemadmodum Deus, id ab eius exigitur natura, quod autem sit heic aut illic, quod maius vel minus occupet spatium, id ab eius pendet voluntate: corpora occupata nulla actione sua ad id conferunt; tantum inservire possunt designationi spatii occupati.

Praeterea huiusmodi alligatio spiritus igni, non impedit quominus spiritus, dummodo igni maneat unitus, discurrat quo vult et per suas vires naturales operetur quae vult. Quo ergo redit haec poena detentionis? An est valde terribilis haec poena?

9. Tandem haec explicatio poenae sensibilis non videtur admodum forte congruere cum doctrina Scripturarum. Et primo cur res corporea, quae detinet, appellata est ignis? ignis non detinet, sed destruit. Si de detentione agitur, perinde est spiritui detineri sive aere sive igne sive aqua sive alio corpore: cur ergo semper mentio fit ignis? Deinde cur ponit Christus divitem in inferno flagitasse guttam aquae ratione allata, quia cruciabatur in flamma? an exstinctio sitis aliquid confert contra detentionem? Ignis infernus dicitur *devorans, ardens* (cf. superius citata testimonia) quod cum conceptu simplicis detentionis non admodum congruit.

10. Hinc est quod aliis theologis sententia s. Thomae nimium mitis visa est (cum caeteroquin sperarent certe se illam evasuros). Suarez tom. 22. d. 46. s. 2. seq. innititur primum auctoritati Augustini, qui *de Civitate Dei* l. 21. c. 10. ait: « Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi?... Adhaerebunt spiritus daemonum imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam ».

Quibus postremis verbis significat unionem spiritus cum igne non

esse tanquam formae ad materiam, sed tanquam patientis ad agens. Cui consentit Gregorius 4. Dialog. c. 29. inquiens: « Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur quo videt et quia concremari se aspicit concrematur » (cf. Augustinum superius citatum ex l. *De Genesi*).... « Colligere ex dictis evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur » : provocat autem ad verba divitis: *crucior in hac flamma* (Luc. XVI. 24.). Tum dubitante Petro quomodo res incorporea (anima) a re corporea teneri atque affligi possit, Gregorius, praemisso, Angelos esse incorporeos et ignem gehennae esse corporeum, concludit: « Si igitur diabolus eiusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animae et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta ». Perpende Gregorium duos effectus igni tribuere, et quod teneat spiritus et quod eos affligat, non autem explicare, quomodo spiritus patiantur ab igne.

11. Quomodo autem spiritus crucietur ab igne quidam (cum Augustini doctrina ex lib. De Genesi ad litteram) explicabant per imaginationem sive apprehensionem, qua spiritus se pati ab igne apprehendunt, ex qua apprehensione sequitur tristitia et dolor non secus ac si ita res obiective se haberet (cf. Suarez l. c.). Porro Suarez rem explicat per qualitatem quandam impressam spiritui ab igne, quae qualitas sit spiritui disconveniens ideoque obiectum doloris. Res non est adeo facilis intellectu et consuli potest ipse doctor l. c.

Bellarminus pro certo habens ignem Inferni atque Purgatorii esse corporeum, affirmat quoque, quod verissima sit sententia, non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream. Quae sententia non contradicit sententiae Suarez; qui et ipse concedit, ignorari modum, quo ignis agat in spiritum, sed posito quod agat, explicare voluit quid sit illud, quod facit. Quamvis ignoretur modus, posse tamen id fieri colligere forte licet ex simili. Quemadmodum enim ignis noster mediante corpore affligit animam, ita ignis ille, supplente Deo potentia sua vicem corporis, affliget spiritum miris quidem sed veris modis. Ceterum, qui a difficultatibus multiplicandis abhorret, quiescere potest in sententia s. Thomae, propter eius saltem auctoritatem: quae sententia ex magna difficultate cuiusque alterius, iam magnam consequitur probabilitatem, nec Philosophia scholastica aliud melius suppeditare videtur, cum de poena agitur affligente spiritus. Nam corporibus reassumptis nil mirum homines cruciari ab igne.

Illud certe cavendum est, ne phantasiae indulgentes affirmemus ibi

belluas immanes esse, ursos, serpentes, scorpiones, et huiusmodi portenta, quae sapienti nihil conferunt, insipientem vero vel ridere cogunt vel de universa re dubitare.

§. 56. — **Rationi congruit, ut homini ad beatitudinem destinato, quam meritis suis consequi debet temporis spatium promerendi aut demerendi sit vita mortalis constituta, ultra quam non sit amplius locus sperandae veniae.**

1. Ingredimur quaestionem de aeternitate poenarum, quam primum ostendere volumus nihil habere quod rectae rationi repugnet.

Itaque supponimus primo hominem ita creatum esse ad Dei gloriam, ut hanc gloriam homo Deo conferat ipsum cognoscendo et amando, cognitione autem intuitiva et amore amicitiae eam consequente, quo Deus ab homine possideatur: qua cum gloria Deo ab homine reddita beatitudo ipsius hominis constituatur.

Supponimus secundo oportere ut homo hanc beatitudinem operibus suis mereatur, ut sit proinde eius merces et praemium: qui idcirco debeat in hunc finem libere tendere et possit ab eo libere desciscere et sic promereri poenam.

Haec constant ex iis quae dedimus in tractatu de Ordine supernaturali, ex doctrina revelata de opere redemptionis et de institutione Ecclesiae: huc enim omnia spectant, ut homines vitam habeant heredesque fiant regni una cum Christo, dummodo ei conformes fuerint in hac vita.

2. Iam vero quoniam praefiniendum erat homini spatium aliquod temporis pro consequendo fine, in quo beatus exsistens clarificaturus esset Deum, rationi dicimus congruere, ut, quemadmodum factum est, spatium merendi aut male merendi sit vita mortalis, extra quam nullus amplius sit locus sperandae veniae, qua a poena debita liberetur.

Sane cum Deus sit plenissimo iure Dominus hominis, qui eo ipso quod creatur tenetur ei prorsus obedire et famulari, Deusque sit praemium praestiturus, integrum ei erat praefinire conditiones ideoque et tempus quo illud liceret consequi et quo transacto poena subeunda foret: ratio enim id unum postulat, ut tempus aliquod statuatur, eius autem determinationem Domino decernendam relinquit; hic enim actus est quidam dominii, neque potest ad subditos spectare ut pro lubitu conditionem Domino ipsi praefiniant conferendae mercedis. Ita sane et inter homines Dominus est non servus, qui conditiones determinat pro conferenda mercede.

3. Porro cum hoc consertum est, ut in potestate sit Domini vel nullam concedere veniam aberranti semel libere a fine, vel saltem nullum

locum relinquere sperandae veniae transacto tempore praefinito. Certe in illo priore nullam iniustitiam ratio reperit, quae nec ulla esse potest Dei ad hominem, cui nihil a Deo debetur; in altero autem clementiam commendat.

§. 57. — **Ratio quoque nihil a se alienum in eo reperit quod tempus ad consequendum finem, semel tantum constituatur sitque tempus unicum huius vitae.**

1. Haec assertio differt a praecedente. Esto enim quod ultra tempus huius vitae non sit amplius locus sperandae veniae, comminisci tamen quis poterit, quod soluta integra poena, ideoque nulla admissa venia h. e. remissione poenae, instauretur rursus tempus probationis pro consequendo fine. Dicimus nihil absurdi in eo reperiri, quod etsi homo, secundum animam saltem, victurus sit in aeternum, tempus probationis ad promerendum finem semel tantum stabiliatur et sit tempus huius vitae praesentis.

Sane 1. tempus hoc per se sufficit pro obtinendo fine: ratio autem tantum id quod sufficit exigere potest. 2. An tempus alterum dabitur animae separatae, an animae iterum coniunctae corpori ideoque homini? Si prius, non haberetur prorsus idem subiectum operans eodem modo; priore enim vice fuit homo, postea esset anima, quae licet pars praestantior hominis non est tamen homo nec eodem pacto operatur: si posterius, recta ratio non postulat, ut homo rursus in vitam redeat, nisi forte ut praemium consequatur, non autem ut rursus mereatur. 3. Hoc in maximam hominis redundat utilitatem, si semel elapso brevi probationis tempore finem suum inamissibiliter consequatur. 4. Generi humano semper persuasum fuisse videtur, bene vel male merendi tempus hac unica vita coarctari, et post hanc vitam locum non esse nisi vel praemio pro bene vel poenae pro male factis. Ratio ergo in hac re nihil perspicit absurdi.

2. Et re quidem vera si Deus paratus esset etiam in altera vita pluries parcere, cum, quolibet elapso vel longissimo tempore, restet semper aeternitas, qua fieri possit homo beatus, homines nedum non deterrerentur a peccato, sed potius istante eorum pronitate ad malum, provocarentur nunc ad peccandum, quoniam ratione habita aeternae felicitatis quam tandem consequi possent, contemnerent temporaneas poenas, quae, licet diuturnissimae, instar puncti sunt respectu secuturae aeternitatis.

§. 58. — **Hac admissa oeconomia consequens erit, voluntatem hominis post huius vitae cursum eam semper esse bonam, quae bona erat exiens de hac vita, quae autem ex hac vita emigrans fuit mala, semper fore malam.**

1. Sane voluntas bona post hanc vitam erit in termino, ad quem tetendit heic, exsistens autem in termino, ei immutabiliter adhaerebit, quia post terminum non est amplius progrediendum neque erit amplius locus merito vel demerito. Consecuta namque finem non est amplius cur alio tendat voluntas: bona ergo exsistens cum cesset tempus probationis et meriti, semper bona erit.

Pariter voluntas, quae in hac vita aberravit a fine, in hac aberratione libere suscepta semper permanebit post mortem ad eum malum finem conversa, quem in hac vita elegit. Cum enim non sit locus consecutioni debiti finis, in quem tendere amplius nequit, aliquid autem tanquam finem diligere oporteat, illi adhaerebit, cui vivens opera sua ordinavit, malo nempe, ad quod aversa a Deo sese convertit; perseverabit idcirco obstinata in malo, cui olim sponte adhaesit: reatus proinde culpae libere admissae manebit semper.

§. 59. — **Ratio nullam in eo pugnam deprehendit, quod exacto probationis tempore poena peccati mortalis sit aeterna.**

1. Sane *a)* manente reatu culpae non est cur poena remittatur: atqui reatus culpae semper in aeternum manet; ergo. Porro adverte, quod cum punitur in altera vita reatus, reapse punitur culpa admissa in hac vita, quae, nisi misericordia divina subveniat, reatum per se gignit aeternum.

b) « Poena taxatur secundum dignitatem eius, in quem peccatur; unde maiore poena punitur qui percutit alapa principem quam alium quemcumque: sed quicumque peccat mortaliter peccat contra Deum, cuius praecepta transgreditur et cuius honorem alii impertitur, dum in alio finem constituit; maiestas autem Dei est infinita: ergo quicumque peccat mortaliter, dignus est infinita poena, et ita videtur quod iuste pro peccato mortali quis perpetuo puniatur ». S. Th. Suppl. q. 99. a. 1. Ergo nihil ratio in hac re deprehendit absurdi.

Alio modo: Iniuria illata Deo est infinite maior quavis iniuria illata creaturis; quia quantumvis iniuria creaturae illata augeatur sine fine, nunquam aequabit iniuriam Deo illatam, cum hic maiestate sua infinita excedat actu in infinitum omnem creaturam; ergo iniuria illata

Deo puniri poterit poena, quae infinite hoc est sine fine excedat poenas pro iniuriis illatis creaturae.

2. Dices, etiam peccato veniali peccari in Deum.

Respondeo, peccatum veniale non esse univocum cum mortali: huius essentiam in eo esse quod homo a Deo fine suo, quem diligere super omnia debet, recedens, statuat finem suum in re creata, quatenus eam prae Deo magis diligit. Sciens scilicet homo se peccato mortali displicere Deo eiusque amicitiam aut benevolentiam amittere eique honorem tanquam fini ultimo debitum denegare, nihilominus ob amorem alicuius boni creati Deum eiusque amicitiam contemnit, ut sibi indulgeat. Haec non habent locum in peccato veniali, quo homo, licet aliquam legem Dei transgrediens, nec a Deo se avertit, nec eius contemnit amicitiam aut benevolentiam; cum eam legem non praeceperit Deus sub interminatione suae inimicitiae et amissionis finis, eo quod levis sit res praecepta.

Cf. Passaglia de aeternitate poenarum deque igne inferno Commentarii Rom. 1855.

§. 60. — Doctrina est catholica divina revelatione contenta poenas inferni esse aeternas h. e. sine fine.

1. Primum id continetur certis veritatibus quas fide tenemus. Sane pro salute assequenda certa est necessitas ineundae Ecclesiae, quae tamen in consummatione seculi desitura est (Matth. XXVIII. 20.): Ergo in hac vita tantum datur potestas consequendae salutis. Si in aeternum felices esse possumus absque Ecclesia, quid opus est illam ingredi? quid opus est credere quod ipsa docet, sacramenta suscipere? Pretium quoque infinitae satisfactionis Christi perperam expensum videatur nec tanta gratitudine dignum, si peccato poena temporaria tantum debeatur. Christus de Iuda dixit: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* Matth. XXVI. 24. quibus verbis significat Christus se prae oculis habere quod ipsi Iudae utile foret, non simpliciter quod in se est melius καλὸν ἦν αὐτῷ: at si tandem restitutus rursus in stadium probationis poterat adhuc Iudas in aeternum salvari, non erat ei bonum non esse natum.

Deinde haec est doctrina ab Ecclesia definita contra ἀποκατάστασιν Origenis, quam monstruosam vocat Conc. V. cn. 1. contra Origenem. Et Nicephorus Callisti ex Actis Synodi V. refert inter Origenis errores hunc esse proscriptum l. 17. c. 27. « Omnium impiorum hominum ipsorumque etiam daemonum tormenta finem habitura, atque impios et daemones in priorem suum statum restitutum iri ». Photius

quoque *Cod.* 117. inter quindecim Origenis errores hunc recenset: « non esse sempiternas malorum poenas ».

Id Ecclesia profitetur in Symbolo, quod dicitur s. Athanasii. *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem: et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Conc. Later. IV. c. 1. contra Manichaeos: *Omnes cum suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam et isti cum Christo gloriam sempiternam.* Quae sit porro amplitudo significationis vocum *aeternae, perpetuae, sempiternae* poenae liquet tum ex proprio sensu earundem; *aeternum* sane perinde ac *aeviternum* scilicet *αἰώνιον* quod est ab *αἰών* quod est *αἰεὶ ὤν: sempiternum est* a *semper* quod desitionem excludit: tum ex sensu totius populi christiani, qui semper has voces ita accepit, ut sit duratio poenae impiorum, quemadmodum et gloriae beatorum, sine fine. Quocirca cum haec doctrina modo a sapientibus secundum carnem negetur, paratus fuerat canon a concilio Vaticano sanciendus de gratia redempt. 6. *Si quis dixerit, etiam post mortem hominem iustificari posse, aut poenas damnatorum in gehenna perpetuas futuras esse negaverit, A. S.* Perpetuitas scilicet poenae excludit possibilitatem restitutionis damnati in statum alium, quo rursus mereri valeat.

2. Haec est certa doctrina Scripturarum. Nam 1. poena haec dicitur *aeterna*, nec usquam eius desitio significatur, agitur autem de animabus, imo hominibus post resurrectionem sine fine victuris: porro *αἰών,* עוֹלָם (a) durationem rei significant quanta esse potest, quantum natura eius exigit. Iam vero Isaiae verba, quae superius iam citavimus ex c. XXXIII. 14., haec sunt: *Quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis* מוֹקְדֵי עוֹלָם ardores aeternitatis h. e. aeternos. Dan. XII. 2. *Multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in opprobrium;* לְדִרְאוֹן עוֹלָם *in abominationem aeternam εἰς αἰσχύνην αἰώνιον* (Hier. *ut videant semper;* legisse proinde videtur לִרְאוֹת nisi forte scripserit *ut*

(a) עוֹלָם frequenter usurpatur de iis quae unquam desinent Eccle. I. 4. Psalmus CIII. (Hebr. 104.) 5. LXXVII. (Hebr. 78.) 69. Gen. XLIX. 26. etc., secundum autem pressam notionem metaphysicam aeternitatis, usurpatur de Deo. Gen. XXI. 33. Isai. XL. 28. Dan. XII. 7. Ps. LXXXIX. (hebr. 90.) 2. מֵעוֹלָם וְעַד עוֹלָם. אַתָּה אֵל etc. Ex quo patet notionem principalem τοῦ עוֹלָם esse aeternitatem et nonnisi secundario de iis dici quae, licet finem habeant, durant quandiu postulat eorum natura.

vileant). Matth. XVIII. 8. *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum quam duas manus vel duos pedes habentem mitti εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.*

3. Haec poena dicitur duratura *in secula seculorum*, *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Apoc. XIV. 11. XIX. 3. XX. 10. Porro haec est forma superlativa omnia tempora complectens, cessationem omnem excludens. Huic respondet hebr. לְעוֹלָם וָעֶד *in aeternum et ultra*; hanc enim phrasim Caldaicus reddit עלמי עלמין *secula seculorum*. Haec superlativa phrasis in N. T. adhibetur dumtaxat de gloria beatorum. Apoc. XXII. 5. *de gloria Dei*, Gal. I. 5., Hebr. XIII. 21., 1ª Petr. IV. 6.; de gloria Christi post resurrectionem Apoc. I. 18. atque de poena impiorum in altera vita, ut patet ex locis iam citatis. « His verbis, ait Augustinus *Civ. Dei*, 21. 23., nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis ».

4. Disserte affirmatur, has poenas finem non habituras. Ignis sane dicitur a Ioanne Bapt. *inexstinguibilis* Matth. III. 12. Christus rursus vocat ignem inexstinguibilem *ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται* Mar. IX. 48. Iam Isaias ultimo versiculo suae prophetiae dixerat de illis qui praevaricati sunt in Deum: *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur:* vermis autem optime accipitur pro symbolo intus manentis peccati, quod conscientiam rodit et vexat; manente autem in perpetuum peccato, quid mirum si perpetua perseveret et poena? Augustinus ad Orosium c. 6. « Qualiscumque poena significata est nomine *vermis* aut *ignis*, certe si non morietur nec exstinguetur, sine fine praedicta est, nec aliud agebat propheta cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret ». Ludunt vero qui monent, ignem utique dici exstinctum non iri, sed non ideo affirmari damnatos semper in eo permansuros. Etenim verba Christi eo spectant ut poena impiorum declaretur; appositum ergo *non exstinguetur* de ipsa poena seu de igne quatenus obit vicem poenae accipiendum est: quapropter dicitur *ignis eorum*. Et sane si *vermis*, peccatum, non desinit, oportet ut et poena cum eo pariter perseveret; haec enim duo simul a Christo coniunguntur, ut eadem utriusque duratio significetur.

5. Sententia est iudicialis quam testatur Christus se prolaturum: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*, postquam, ut affirmat ipse Christus: *ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam*. Matth. XXV. 41. 46.

Iam vero in sententia iudiciali termini sensu proprio, qui convenit his contra quos profertur, accipi solent: impii in aeternum sunt victuri; aeternitas ergo poenae propria accipienda est prout his damnatis congruere potest ut nempe sit sine fine. Et sane eodem pacto in eadem

continuatione sermonis aeternitas praedicatur de *vita* sanctorum et de *supplicio* impiorum, eodem idcirco sensu accipienda est: atqui *vita* erit certa aeterna, ergo et *supplicium*. Ita Augustinus *Civ. Dei* 21. 23. « Christus in uno eodemque loco in una eademque sententia dicit: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam:* si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi; par pari enim relata sunt. Hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est ».

Itaque demonstratum est, poenas inferni aeternas fore, h. e. absque ullo fine: dura sane veritas sed certa et credenda.

6. Scimus profecto aliquos exstitisse Patres seu Scriptores veteres, inter quos eminet Gregorius Nyssenus, tum Hieronymus, Pseudo Ambrosius, ipse Ambrosius, ac Nazianzenus, quos vide apud Petavium *De Angelis* l. 3. c. 7. qui Origenem secuti, *ἀποκατάστασιν* seu redintegrationem omnium plus minus probarunt, ita ut tandem post diuturnam utique poenam damnati homines ipsique daemones Deo reconciliati et ad beatitudem recepti, cum Deo vivant eius visione et amicitia fruentes. Mentionem quidem *τῆς ἀποκαταστάσεως* fecit Petrus in sermone altero ad populum Act. III. 21.: verum haec non est restitutio origeniana, sed restitutio et renovatio promissa a Deo per prophetas, complenda per Christum: restitutio dicitur *omnium quae* (quorum scilicet restitutionem) *locutus est Deus per os sanctorum suorum a seculo prophetarum*, ut ibidem ait Petrus. Qui renovationem quandam memorat quoque in 2. Epist. III. 10. 11.: at renovatio est mundi materialis, non redintegratio spirituum damnatorum.

Quid autem ex sententia eorum paucorum Patrum colligas? hoc unum, nondum ea aetate doctrinam traditam ab initio ecclesiastici Magisterii auctoritate fuisse firmatam; in hac enim conditione rerum possibilis est, bona fide, error, et quemadmodum aetate media errores vel gravissimi subrepserunt theologis, ita non mirum subrepsisse Patribus, qui singillatim fallibiles erant atque homines pares nobis.

7. Forte qui dissensum horum Patrum obiicit ex iis est, qui repudiata revelatione veritatum credendarum facta integre ab initio et tradita ab Apostolis Ecclesiae, censent, doctrinam ecclesiasticam evolutione quadam naturali explicatam esse, ut exsistente prius libertate alterutram partem contradictionis eligendi, subsecuta deinceps controversia, tandem praevaluerit aliqua ex sententiis disputatis vel ex communi placito vel ex auctoritate potentioris alicuius ecclesiae. Verum qui ita sentit, non catholicus est, sed rationalista. Catholico persua-

sum est, quidquid singulis aetatibus communi consensu Ecclesia credit, id revelatum fuisse ab initio, ideoque et poenarum aeternitatem : explicari quidem et evolvi doctrinam catholicam, at non quatenus nova doctrinae capita procudantur et iam procusis addantur, sed quatenus doctrina ab initio tradita uberius et latius evolvatur, ut quod in ea forte latebat distinctius expromatur. Quo vigente studio fieri profecto potest, ut quidam imo non pauci in inquisitione errent, si praesertim id obiter a nonnulli fiat, cum aliae quaestiones maioris momenti occupant mentes plurimorum. Id autem locum habuit in quaestione de aeternitate poenarum.

§. 61. — **Etsi quibusdam veteribus arriserit sententia de mitigatione poenarum inferni pro certis diebus, eam tamen minus probabilem censemus.**

1. Opinionis huius meminit Augustinus *Enchir.* c. 112. eamque permittit: « Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est ipsa damnatio... non aeterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus ». Cf. et *Civ. Dei* l. 21. c. 24. Citatur et Chrysostomus hom. 5. ad Philipp. qui tamen mitigationem hanc non certis coercet diebus, sed alligat suffragiis fidelium. Pro qua Chrysostomi opinione citantur quoque veteres quidam scholastici, Praepositivus, Gilbertus, Rupertus (conf. Praefationem mox citandam). Eodem sensu exstant preces in quadam *Missa pro cuius anima dubitatur* in quodam Missali sec. XI. (cf. Praefationem Faustini Arevali ad opera Prudentii n. 184. Migne P. L. 59. 708.). « Et si plenam veniam animae ipsius obtinere non possumus, saltem vel inter ipsa tormenta, quae forsitan patitur, refrigerium de abundantia misericordiarum tuarum sentiat.... ut, si forte pro gravitate criminum non mereatur gloriam, per haec sacrae oblationis libamina vel tolerabilia sibi fiant ipsa tormenta ».

2. Celeberrimi sunt versus Prudentii, in hymno 3. Cathem.

Sunt et spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub Styge feriae,
Illa nocte, sacer (sacra?) qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex acheronticis.....
Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultantque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

Quod Prudentius diebus paschalibus contingere asserit, id die descensus Christi ad inferos contigisse affirmat Caesarius Arelatensis *hom. 3. de Paschate:* « Confestim aeterna nox inferorum Christo descendente resplenduit. Siluit stridor lugentium ille, soluta sunt onera catenarum, dirupta ceciderunt vincula damnatorum, attonitae mentis obstupuere tortores. Omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit ».

Porro animadversione dignum est, quod olim hymnus Prudentii in multis ecclesiis canebatur ad accensionem cerei paschalis, in quibus propterea ea sententia non male audiebat, ait Hurter *Theol. dogm. Comp.* Vol. 3. §. 808. nota.

3. Petavius de hac sententia hoc fert iudicium, *de Ang.* l. 3. c. 8. « De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica, ut propterea non temere tanquam absurda sit explodenda ss. Patrum haec opinio, quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena ».

4. Et sane status damnatorum eos omnino separat a Christo eiusque Ecclesia, ut nullum sit amplius commercium inter eos et fideles heic militantes; quorsum ergo communio quaedam laetitiae in certis festivitatibus? quo fundamento nititur valor suffragiorum pro ipsis? Allevamus poenas animarum purgantium, quia ipsae et diliguntur a Deo et nobiscum coniunctae sunt fide, spe ac caritate: at nihil simile in damnatis.

Praeterea huiusmodi mitigatio locum non habet e sententia eidem faventium nisi tempore praevertente iudicium supremum; cum nempe sollemnitates ab Ecclesia aguntur et fideles exstant qui orent pro defunctis: exinde per totam aeternitatem nulla erit mitigatio poenarum; scilicet adeo leve est istud levamen, ut vel ab ipsis damnatis contemni possit, qui potius eo interposito acrius torquerentur replicata poena.

Hanc sententiam reprobat s. Thomas *in 4. d. 45. q. 2. q^la 1.* tanquam « praesumptuosam, utpote dictis sanctorum contrariam et vanam, nulla auctoritate fultam (hoc non omni ex parte est verum) et nihilominus irrationalem ».

§. 62. — Pro varia gravitate criminum varia erit et gravitas poenae.

1. Cum omnium sit poena aeterna, discrimen esse nequit nisi in intensitate poenae, id autem sufficit, ut quisque pro merito puniatur. Hanc diversitatem fore ratio in primis probat; non enim iustitia patitur ut eodem pacto puniantur qui minus et qui plurimum peccaverunt, qui ex fragilitate et qui ex malitia, qui sibi solis peccaverunt et qui causa ruinae aliorum fuerunt.

2. Sane iudex reddit unicuique *secundum opera sua*, et unusquisque refert propria corporis *prout gessit.* Matth. XVI. 27. 2. Cor. V. 10. Idcirco *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Apoc. XVIII. 7. *Et tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii quam illi civitati.* Matth. X. 15. *Iudicium durissimum his qui praesunt fiet.... potentes potenter tormenta patientur... fortioribus fortior instat cruciatio.* Sap. VI. 6. seqq. *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius.* Rom. II. 56.

§. 63. — **Cum pars eaque praecipua poenae damnatorum sit amissio beatitudinis aeternae, eam naturali appetitu desiderant dolentque se peccasse quatenus peccatum est causa poenae.**

1. Cum maximum malum sit privatio maximi boni, nullum autem bonum maius sit homini quam finis propter quem creatus est, oportet aeternae beatitudinis privationem esse partem praecipuam poenae damnatorum. Quae privatio dupliciter considerari potest, prout nempe est amissio Dei dilecti et prout est amissio propriae felicitatis, quatenus videmus et in hac vita contingere ut plures paradisum desiderent non propter amorem Dei quem nondum diligunt, sed propter amorem sui eo quod cupiant esse felices.

2. Iam vero priore modo damnati non desiderant vitam beatam; nam Deum non diligunt a quo finaliter aversi sunt: at altero modo illam desiderant. Nam appetitus naturalis in ipsis manet, atque si deesset hoc desiderium, privatio illa non esset amplius eis poena; est enim poena animi, quae propter privationem aliquam non sentitur, nisi placeat et desideretur id quo animus privatur.

Hinc sequitur, quod quatenus peccatum est causa poenae idque damnati sciunt, doleat eos se peccasse, quemadmodum graphice descripsit Auctor Sapientiae V. 2. seqq., ibi enim sermo est de iis qui erunt in contumelia inter mortuos in perpetuum IV. 19. quibus nulla amplius superest spes V. 7. 8. 9. quique in malitia sua consumpti sunt 13. Dicent ergo *poenitentiam agentes* v. 3. *nos insensati* v. 4. *ergo erravimus a via veritatis* v. 6. *lassati sumus in via iniquitatis* v. 7. Quocirca negari nequit, aliquam poenitentiam acturos damnatos. Quae poenitentia ex solo horrore poenae, cum sit serviliter servilis, nihil ipsis proderit nec eos faciet meliores. Ita s. Thomas Suppl. q. 98. a. 2. « Non poenitebunt per se loquendo de peccatis (quatenus scilicet sunt

peccata); quia voluntas malitiae peccati in eis remanet: poenitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de poena, quam pro peccatis sustinent ».

§. 64. — Quamvis perpetuo peccent damnati, haec tamen peccata eis ad maiorem poenam non imputantur.

1. Praesupponendum est 1. in damnatis libertatem permanere, licet, ut videbimus, in nonnullis impeditam: est enim essentialis proprietas naturae, natura autem manet. Libertate idcirco potiuntur tum quoad exercitium, tum quoad specificationem circa plura. Praesupponendum est 2° ex s. Thoma (ibid. a. s.) voluntatem deliberativam damnati esse malam nec posse esse bonam; quia ipse est complete aversus a fine ultimo bonae voluntatis, nequit autem aliqua voluntas esse bona nisi per ordinem ad finem praedictum; unde etiamsi aliquod bonum damnati velint, non tamen bene volunt illud. Haec necessitas moralis peccandi in voluntate damnata, cum sit effectus peccati libere admissi heic, si punienda est, eo ipso punitur quod punitur peccatum quo se libere coniecit homo in statum perpetuae aversionis a Deo; ut « sic totum demeritum sequentis culpae videatur ad primam culpam pertinere » ait s. Thomas l. c. a. 6. Cum autem dicimus voluntatem damnati non posse esse bonam, eo ipso dicimus eosdem esse obstinatos in malo.

Praesupponendum est 3. praeterea tempus merendi aut demerendi esse pro homine hanc vitam tantummodo, qua absoluta nequit peccator amplius demereri; quia demeritum supponit compossibilitatem meriti, quod peccatori in altera vita est impossibile, averso irreparabiliter a fine, ad quem quodlibet meritum dirigendum est.

2. Ex his consequitur malitiam voluntatis damnatae, si in causa sua spectetur hoc est in peccato heic admisso, censeri posse culpam, sed in se formaliter esse poenam; est enim obstinatio, libera utique ab origine, in malo, sed modo consequens necessario ex perfecta aversione a fine, quam subit damnatus ratione status sui. Atque hoc est summum malorum, ad quod damnatus pervenit, ut nedum mereri non possit, sed nec demereri. Cf. s. Thomas l. c. Quod quidem et in sanctis habet locum, sed ex opposita causa, quia nempe summo bono inammissibili adhaerent, illudque suprema spontaneitate diligunt.

Nulla ergo perversitas voluntaria damnati, prout seiuncta consideratur a peccato heic admisso, imputatur ei in poenam, quae idcirco non erit indefinite quoad intensitatem semper augenda.

Scholion. Quaerit s. Thomas, an damnati odio habeant Deum (l. c. a. 5.). Respondet autem, quod Deus dupliciter apprehenditur, *in se,*

spectatus nempe secundum id quod est, et *in effectibus suis* puta in punitione. Porro Deus in se nequit odio haberi, h. e. ex consideratione divinae naturae divinorumque attributorum nequit in ulla voluntate odium excitari: at si Deus ut puniens consideratur, potest a damnatis odio haberi nedum ipsa punitio sed ipse Deus puniens; quia hoc pacto Deus ipsis non est bonus sed malus. Et quia nulla spes reconciliationis affulget, restat, ut eum semper odio habeant. Qui quidem actus non ex naturali appetitu originem habet, sed ex perversa deliberata voluntate.

Quaerit idem s. Doctor praeterea (l. c. a. 1. 3.) an damnati recta et deliberata ratione vellent non esse. Respondet autem non quod id velint, sed quod possunt deliberate velle seu optare. Quamvis enim non esse, cum nihil boni in se habeat, non sit per se appetibile, per accidens tamen prout est ablativum poenalis vitae, accipit rationem boni; nam carere malo est quoddam bonum: quocirca videmus homines ad extremam et intolerabilem miseriam redactos, qui animi immortalitatem vel ignorant vel negant, mortem sibi violenter consciscere, ut a malo liberentur.

Et sane quod Christus affirmavit de Iuda repetere licet de quovis damnato ; nam par quoad essentiam est in omnibus ratio infelicitatis sicut par quoad essentiam est causa damnationis: *bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* Matth. XXVI. 24., nisi praeter communem sensum ita verba Domini interpreteris, ut noluerit dicere, bonum fuisse Iudae si non exstitisset, sed tantum, si non esset natus, hoc est, si in utero matris exstinctus fuisset. Sed interpretatio est nimis subtilis. Unde consequitur quod, si optabilius est damnato non esse, quam esse in tanta miseria, illud etiam recte desiderent, quod tamen in poenam nunquam consequentur. Hoc tamen desiderium, quod subiective non esset malum, esset inordinatum obiective, quia contra ordinem divinae providentiae, divinaeque iustitiae.

§. 65. — Probabile est locum tormentorum esse sub terra.

1. Nihil quidem hac in re definiti habemus: sed cum tot corporibus post resurrectionem locus aliquis necessarius sit, probabiliter credimus esse sub terra. Hic est sensus communis hominum qui impios in altera vita puniendos credunt, sensus communis hebraeorum qui mentionem frequenter faciunt τοῦ שאול (= שעול locus cavus, subterraneus) quo et impii descendunt et congregantur Isaiae XIV. 9. ut unus omnium locus impiorum censeatur: cf. et Num. XVI. 29. seqq. Hanc sententiam expressit et Christus, qui divitem mortuum dixit esse ἐν τῷ ᾅδῃ in inferno Luc. XVI. 23.

Et sane aequum videtur ut ubi peccarunt homines, in hac tellure scilicet, ibi et locum carceris inveniant. Cf. quae dedimus in Opusculo *Esame d'un opuscolo che gira intorno ad un piccolo Libro*, pag. 41. seq.

PARADISUS

§. 66. — **Praeparata est iustis beatitudo qua coheredes cum Christo et cum eo regnantes Dei visione immediata ac amore fruantur, idque in aeternum.**

1. Beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, omnium, inquam, bonorum, quorum est capax qui beatificandus est. Aggregatio autem omnium bonorum excludit quodlibet malum. *Status* dicitur, h. e. conditio permanens, immobilis; quae nedum vere talis sit, sed et talem esse cum certitudine teneatur. Quandiu enim dubitas, eo magis angitur animus, quo praestantius est bonum quod amitti potest. Etsi vero id ignores, si tamen verum est, errore vel ignorantia in re gravissima laboras, quod profecto malum est.

Beatitudo dispescitur in *formalem* et *obiectivam:* haec est ipsum bonum quod beatos nos facit, illa est huius boni possessio per actus nostros, et idcirco utrumque elementum complectitur, subiectivum et obiectivum. Ideo autem *formalis* vocatur, quia in ea vere sita est forma seu essentia beatitudinis, quae necessario in subiecto inest; non enim beati sumus quia bonum exsistit, sed quia illud possidemus.

Ex philosophia supponimus, beatitudinem hominis in nulla re creata posse consistere, unumque Deum, qui est summum bonum, esse essentialem beatitudinem nostram obiectivam; quod et fides christiana confirmat.

Porro nunc de beatitudine, quam fides docet, dumtaxat acturi sumus. Iam vero fides docet, finem quo per opera nostra nos tendere oportet, esse vitam aeternam, hanc proinde esse beatitudinem, quae est finis, quo tendimus: ipsam autem eo redire, ut vitam aeternam viventes regnemus cum Christo, eius coheredes, cum eoque regnantes Deum immediate videamus et in eius possessione et amore delectemur.

2. Iudicio de operibus omnium hominum absoluto, iusti eo quod iuste vixerint Matth. XXV. 34. 35. ibunt in *vitam aeternam* ibid. 46. Quocirca sciscitanti quid sibi faciendum esset ut *vitam aeternam* consequeretur, respondit Iesus: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. XIX. 16. 17. ac ibid. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres* etc. *propter nomen meum.. vitam aeternam possidebit.*

Et apostolis dicentibus Christo se omnia dimisisse eumque esse secutos, ipse respondit: *nemo est qui reliquit domum aut parentes aut fratres aut uxorem aut filios propter regnum Dei et non recipiat multo plura in hoc tempore et in seculo venturo vitam aeternam.* Luc. XVIII. 29. 30. Huc spectat sane opus redemptionis; Deus enim dedit Filium suum unigenitum, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam* Ioann. III. 16. Cf. ibid. VI. 40. Paulus autem ad Romanos VI. 22. *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Quapropter aiebat Christus: *Qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam* Ioan. V. 24. atque *qui credit in me habet vitam aeternam* Ioann. VI. 47. tum *oves meae vocem meam audiunt.... et ego vitam aeternam do eis* Ioan. X. 27. 28.: atque Angelo Smyrnae iussit scribi: *esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae* Apoc. II. 10. Sane: *quae seminaverit homo, haec et metet... qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam* Gal. VI. 8.

Hic est ergo finis, propter quem assequendum conditi sumus, vita aeterna in seculo venturo, quemadmodum et in symbolo fidei profitemur: *credo vitam aeternam.* Quod explicans Symb. Athan. ait: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem: et qui bona fecerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.*

3. Cum autem vita in operatione consistat, cuiusmodi erit haec vita promissa iis, qui in Christum credunt? Operationes hominis propriae, quatenus homo est ab animantibus discretus, sunt operationes intellectus et voluntatis: iam vero in his et quidem maxime perfectis vitam aeternam contineri oportet: « Quid est aliud beate vivere, nisi aeternum aliquid cognoscendo habere?... omnium rerum praestantissimum est quod aeternum est... id habere non possumus nisi ea re qua praestantiores sumus, idest mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur ». August. l. 83. qq. q. 35. Id sane docet Scriptura.

Cum enim intellectus sit verum cognoscere, perfectissima operatio intellectus erit tum cognoscere primam et summam veritatem, quae omnes comprehendit, tum eam non quovis modo non per imagines, sed immediate in se ipsa intueri. Atqui haec est cognitio promissa. *Beati mundo corde*, ait Christus, *quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. V. 8. Vox graeca ὄψονται de iis dicitur quae cernuntur oculis, quae immediate conspiciuntur. Talem reapse futuram cognitionem Dei testatur Ioannes in 1. epist. III. 2. *Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus*, quid nempe evasuri sumus cum filiatio Dei com-

plebitur in nobis: *scimus autem, quoniam, cum apparuerit* (quid erimus) *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* His verbis visio immediata Dei significatur; nam nec perspicuis magis verbis exprimi poterat, et cognitio abstractiva per imagines, seu per speculum iam heic ope fidei obtinet. Quocirca ait Apostolus 1ª Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Per speculum* δι ἐσόπτρου, quo res non in se ipsa sed per repraesentationem reflexam videtur Iac. I. 23. et adverte, specula antiquorum, cum essent metallica, claram et distinctam imaginem non reddidisse: « speculum, ait heic Chrys., visa exhibet utcumque »: hanc autem metaphoram speculi ad mediatam cognitionem significandam praecipue adhiberi ostendit praep. διά, quae cum genit. saepe instrumentum significat. *In aenigmate* ἐν αἰνίγματι: βλέπειν ἐν αἰνίγματι est cernere rem obscuram seu obscure rem videre, et videtur Apostolus habuisse prae oculis verba Num. XII. 8. ἐν εἴδει καὶ οὐ δι' αἰνιγμάτων: εἶδος est quod in oculos incurrit, quod patet adspectui: Vulgatus phrasim reddit *palam*. Sane talis est nunc nostra cognitio de Deo: at tunc, nempe postquam temporis praesentis vita transierit, videbimus Deum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, quod est facie ad faciem conversa, coram, praesentem videre: scilicet absque ullo medio repraesentante Deum videbimus ipsum Deum, ideoque in se ipso.

Hinc subdit ibidem Apostolus: *Nunc cognosco* (nempe Deum, qui est obiectum fidei) *ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* ἐπιγνώσομαι (qua forma media cognitio innuitur quae plena possidetur) καθὼς καὶ ἐπιγνώσθην quemadmodum et cognitus sum, nempe a Deo scilicet « sine ullo medio offuscante seu diminuente notitiam, imo eodem medio; nam cognoscam Deum in ipsa deitate ut medio, quemadmodum cognitus sum a Deo in ipsa eadem deitate ». Caietanus heic. De modo cognitionis sermo est καθὼς, non de quantitate; modus nostrae cognitionis similis erit modo quo Deus nos cognoscit, immediate videlicet et perfecte prout capacitas fert creaturae.

Porro cognitio Dei aeterna, quae una eademque ad omnia se porrigit tempora, recte per aoristum (ἐπιγνώσθην) repraesentatur. Cf. Cornely in 1. Cor. l. c.

4. Profecto *Angeli in caelis semper vident faciem Patris mei*, ait Christus Matth. XIII. 10.: at pariter ait quod homines post resurrectionem *erunt sicut Angeli Dei in caelo* Matth. XXVII. 30. Utique ex hac sola sententia Christi non demonstraretur quod intendimus; at si haec harmonice cum ceteris textibus componatur, facile liquet quis sit eius integer sensus.

5. Secundum haec ait idem Apostolus 2. Cor. V. 6. seqq. *Dum sumus in corpore* (ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι) *peregrinamur* (ἐκδημοῦμεν) *a Domino:* habitantes in corpore, exules sumus a Domino. Cur vero? *per fidem enim ambulamus et non per speciem* διὰ εἴδους. Exilium ergo indicatur haberi ratione cognitionis. *Audemus* (θαῤῥοῦμεν confidimus) *autem et bonam voluntatem habemus* (εὐδοκοῦμεν delectamur) *magis peregrinari* (ἐκδημῆσαι exulare) *a corpore et praesentes esse* (ἐνδημῆσαι habitare) *ad Dominum.* Nimirum non per fidem, sed per speciem διὰ εἴδους. Cf. dicta heic paulo superius §. 18.

6. Doctrinam hanc infallibili decreto statuit Benedictus XII. occasione quaestionis; an Sancti ante resurrectionem Deum videant, Const. *Benedictus Deus* 1336. 29. Ian. qua definitur quod iusti in caelo « vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, nec non quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam ». Idem definivit Florentina Synodus in Decreto Unionis: « animas in caelo receptas intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius ».

7. Cum vero quidam graeci schismatici contendissent cum Gregorio Palamas qui priore dimidio seculi 14[i] floruit, et cuius doctrinam Synodus Constantinopolitana schismaticorum anno 1351. probavit, animas iustorum « non visuras Dei essentiam; quia nulla creatura eam videre potest, sed visuras esse claritatem Dei, quae ab eius essentia manat, sicut lux solis emanat a sole et tamen non est sol », idem Pontifex Benedictus hunc errorem proscripsit anno 1341. scripto dato ad Armenos unitos, ut refert Raynaldus ad eum annum. Hanc absurdam sententiam iam refutaverat Gregorius M. l. 18. Mor. c. 28. « Sciendum vero est, quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri (antiquus est ergo error). Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est ». Et sane claritas absque re clara nulla est; quae eo ipso quod se manifestat claritatem effundere dicitur: videns idcirco claritatem rei, rem ipsam se manifestantem videt. Quod si claritatem concipis tanquam splendorem manantem e divina natura sicut lux manat a sole, quae videri potest quin sol videatur, oportebit quod tu appellas claritatem Dei, esse aliquem effectum ipsius Dei, quod

enim a Deo emanare dicitur, secluso absurdo emanatianismi systemate, nequit esse nisi effectus aliquis, et sic creatura non Deus videbitur. Sed vitium est quoque in similitudine; lux enim per se non videtur, sed videntur obiecta illuminata: tolle omnia obiecta, in quibus sistere possit visus, et oculus videbit nihil. Visio proinde claritatis Dei non viso Deo eo rediret, ut videantur creaturae, in quibus refulget sapientia, potentia et bonitas Dei.

Quapropter cum Christus dixit Ioan. XVII. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem (τὴν δόξαν) meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi,* de ea claritate loquitur, quam accepit a Patre et habuit apud Patrem priusquam esset mundus, ibid. 5. atqui haec claritas accepta ab aeterno est ipsa divina natura, seu est ipsi identica.

Certum est ergo, iustos in altera vita esse visuros Deum immediate, ut in se est, visione, ut dicitur, intuitiva: atque id in aeternum: vita enim haec, ut iam vidimus, est aeterna.

8. Porro talis cognitio Dei est possessio Dei, qui per praestantissimam facultatem apprehenditur et animae coniungitur intimius quam corpori cibus: possessionem vero sequitur necessario amor tanti boni quod possidetur et gaudium de eo. Voluntas enim nequit non diligere summum bonum plenissime ipsi manifestatum: idcirco *caritas nunquam excidit* 1. Cor. XIII. 8. Gaudium autem absolutissimum erit. Sane *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt.* Apoc. XXI. 4. Imo in eis perfecte implebitur quod dixit Propheta Psal. 35. q. 10.: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* Haec enim quamvis de laetitia accipi possint, quam iusti homines in hac vita Deum contemplantes hausturi sunt: tamen multo magis et perfectissime complebuntur in immediata visione Dei. Si enim torrens voluptatis inundat credentes, quanto magis videntes!

Amor Dei est beatis spontaneus simul et necessarius; quia bonum infinitum clare visum nequit non amari: quoad cetera obiecta manet libertas. Solet dici, praeceptum diligendi Deum ex toto corde ex omnibus viribus non impleri nisi in beatitudine: mirum quod tunc praeceptum impleatur, quando praeceptum esse desinit; de actu enim necessario non datur praeceptum. Nimirum tunc illud plene exsequimur, ad quod nos contendere docet praeceptum quod in hac vita valet et quod tamen propter infirmitatem nostram exsequi non valemus in plenitudine sua. Vide quae diximus in Tract. *de Gratia* in Synopsi post Th. 28. n. 7.

Huius voluptatis notionem ille plenius concipiet, qui advertat hunc statum iustorum videntium Deum esse ad instar Regni, regnaturos nempe sanctos cum Christo.

9. Sane quam Christus in die iudicii vocabit *vitam aeternam*, eandem *regnum* est vocaturus Matth. XXV. 46. 34. Item Luc. XXII. 29. 30. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Matth. XIII. 43. *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* 1. Cor. VI. 9. *Iniqui regnum Dei non possidebunt* cf. et ibid. XV. 50. Apoc. XXII. 4. 5. *Et videbunt faciem eius, et nomen eius in frontibus eorum., et nox ultra non erit et non egebunt lumine lucernae neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos et regnabunt in secula seculorum.* Ibid. III. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.*

Hoc regnum profecto est regnum Dei, cui consociantur sancti; idea autem habentis regnum in terris, tranquillum utique et felix, notionem continet possessionis omnium appetibilium cum dominio: huiusmodi ergo erit et in caelis, ut cum Deo et sub Deo beati omni voluptate et gaudio sine fine fruantur, et soli Deo subditi super ceteras creaturas, secundum divinam ordinationem, dominium exerceant.

Adverte, nos nunc spectare ad regnum caelorum in terris h. e. Ecclesiam Dei, at non hoc ipso regnare; non enim quicumque ad regnum spectat, est rex: sed sancti in caelo, ut modo audivimus, cum Christo regnabunt.

Regnabunt vero cum Christo; quia coheredes cum Christo rege futuri sunt. Haec est doctrina Apostoli Rom. X. 16. 17. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Hereditas Christi est gloria quam quatenus homo assecutus est Luc. XXIV. 26.: iusti autem fratres eius Hebr. II. 11. 12. cum eo conglorificabuntur: participes autem gloriae Christi quid mirum si cum ipso regnant?

10. Hactenus dicta satis ostendunt, vitam hanc aeternam sitam in possessione Dei per intellectum et voluntatem, hoc regnum, cuius sancti coheredes Christi participes erunt, esse beatitudinem hominum; talis enim status est reapse status omnium bonorum aggregatione perfectus: quod amplius, si opus sit, declarabitur in sequenti (a).

(a) Ceterum quod spectat ad Chrysostomum qui in hac materia visionis Dei modum excessisse videtur, cf. Petavium *Theol. Dogm. de Deo* l. 7. c. 5.

§. 67. — **Cum visio intuitiva Dei sit intellectui nostro possibilis quidem, sed supernaturalis, opus est intellectui quodam gratuito lumine, ut Deum videat.**

1. Non aegre concedimus in sententiam Suarez de Deo l. 2. c. 7. demonstrari directe non posse sola ratione, Deum posse videri ab intellectu creato. Neque id opus est, cum sit res supernaturalis, quam fide tenemus. Satis est igitur ostendere, nullam repugnantiam hac in re ostendi posse: id autem efficitur hac animadversione. Nempe Deus in se ipso non est extra latitudinem obiecti intellectus quod est ens seu verum: intellectus autem habet capacitatem universalem. Neque opus est ut sit inter cognoscentem et cognitum proportio perfectionis, ita ut utrumque sit par, sed satis est esse proportionem aliquam in ratione potentiae et obiecti, quatenus intellectiva potentia, etsi finita, est universalissima et capacissima, propter immaterialitatem, totius latitudinis entis. Verum ex facto asserto a fide possibilitas certe constabit. Veniamus ergo ad ea quae sunt theologica.

2. Iam in tractatione de Ordine Supernaturali demonstravimus, statum gratiae et amicitiae divinae esse supernaturalem: atqui visio Dei terminus est proprius illius status, maxima gratia et amicitia cum Deo: ergo.

Sane Deus quidem per se est maxime cognoscibilis; quatenus enim aliquid actu est, cognosci potest, scilicet omne ens, eo ipso quod est ens, terminus esse potest intellectus: atqui Deus maxime est ens, primum, summum et infinitum ens: ergo. Non tantum autem est cognoscibilis aliquo modo, sed visibilis immediate, est enim ens manifestissimum eo ipso quod est ens perfectione infinitum; quodlibet enim ens, eo ipso quod tale est, potest esse immediatus terminus cognitionis: multo ergo magis ens infinitum. Itaque si per se Deus spectetur, ipse est splendidissima lux, tantum obtinens claritatis quantum entitatis.

3. Nihilominus ipse excessus claritatis efficit, ut a creato intellectu viribus suis propriis utente nequeat Deus attingi immediate, quemadmodum nec in fulgentissimum solem figere valet aciem oculus humanus. Sane *Deum nemo vidit unquam* Ioan. I. 18. et 1ª. Ioan. IV. 12. item *Non videbit me homo et vivet* Ex. XXXIII. 20., h. e. nullus homo vivens me videbit; nam *Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit sed nec videre potest* 1. Tim. VI. 16. Cum mentio fit lucis significatur, Deum per se esse visibilem; cum vero lux dicitur inaccessibilis significatur, Deum nobis esse invisibilem, et talis

praedicatur ab eodem Apostolo 1. Tim. I. 17. *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum.* Haec per se haud opus est accipere de homine tantum viatore; nam locutio est universalis: *Rex seculorum invisibilis, lucem habitans inaccessibilem:* quae vera non foret, si intellectus noster separatus Deum immediate attingere posset. Sane vita aeterna, ut diximus, in hac visione est sita: atqui vita aeterna est gratia: *stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna* Rom. VI. 23.

4. Non est profecto cur disputemus, an Deus attingi possit oculis corporeis: spiritus enim est prorsus extra amplitudinem obiecti illius facultatis. At quaestio est, cur intellectu naturaliter attingi nequeat.

5. Intellectus enim obiectum est ens, quod verum appellatur quatenus ad intellectum refertur: quidque est, apprehendi ab intellectu potest, est enim potentia universalis erga id omne, in quo ratio sui obiecti reperitur; quemadmodum oculus cernere potest quidquid est coloratum. Difficile est, fatente Suarez *de Deo* l. 2. c. 8. eique consentientibus omnibus sinceris theologis demonstrare ope solius rationis, intrinseco argumento, nullum intellectum creatum et creabilem posse per solas suas vires eo pertingere, ut divinam essentiam immediate videat. Sed primum removeri saltem potest difficultas petita ex amplitudine obiectiva intellectus, si advertatur, quod potestas intellectus finiti, etsi sit universalis, non est tamen necesse, quod eadem sit quoad omnia singularia obiecta quae sub eius ratione formali continentur. Poterit quidem pertingere omnia, sed quaedam per solas suas vires naturales, alia vero dummodo adiuvetur, elevata eius vi et corroborata aliquo speciali lumine. Haec est enim indoles potentiae ut secundum modum sibi proprium, convenientem nempe suae naturae, obiectum suum persequatur et attingat: modus autem proprius potentiae cognoscitivae finitae limitatus est, et perfectioni propriae naturae commensuratur, ut idcirco alius intellectus sit alio perfectior; unde est consequens quaedam attingi posse naturaliter ab aliquo intellectu perfectiore quae nequeant attingi ab inperfectiore.

Et proinde rursus est consequens, aliquod esse obiectum quod solus intellectus increatus et infinitus naturaliter attingere possit, quod est profecto ipsa essentia divina intuitive visa.

6. Directe vero ex penu theologiae demonstrationem hauriri posse puto, qua efficiatur, nullum intellectum creatum posse per suas solas vires videre intuitive Deum, quod argumentum iam dedimus in Tr. cit. de Ordine supernaturali. Scilicet visio intuitiva Dei est ultimus apex amicitiae divinae, per quam creatura Deo familiarissime utitur et fruitur amante et amato et terminus est filiationis adoptivae, eaque eva-

dimus coheredes Christi: atqui nulli creaturae debetur amicitia divina, filiatio adoptiva Dei: deberetur autem, si per vires suas naturales eam assequi posset; vires enim naturales nequeunt esse frustra: ergo.

Hoc argumentum probat, cuicumque intellectui creato, etiam creabili visionem immediatam Dei esse supernaturalem: at ne nimium diffundamur et quod Scripturae certe docent asseramus, de solo humano intellectu directe disputamus. Ceterum confer quae dedimus in Tract. cit.

7. Itaque intellectus noster, si videre Deum potest, opus est, ut ab extrinseco h. e. a Deo ipso adiuvetur. Posse, dummodo superaddito auxilio corroboretur, liquet ex iis quae paulo ante diximus.

Scilicet distinguendum est in amplitudine cognoscibilium duplex, quoad modum cognoscendi, obiectum intellectus, alterum proprium, quod viribus suae naturae suaeque speciei est adaequatum, alterum genericum, quod ei convenit prout simpliciter intellectus est, qui cum ad omne verum cognoscendum factus sit, potest consequenter omne ens quoque videre. Potest autem si adiuvetur, si vires eius supernaturaliter eleventur et aptentur obiecto supernaturali.

8. Hoc auxilium supernaturale vocant Theologi *lumen gloriae*, quod est donum gratuitum elevans intellectum, quatenus actuat eius potentiam obedientialem ut ea expleri possit in visione Dei. Cum lumen istud sit a Deo, concipienda est cum eo voluntas Dei se manifestandi intellectui, quae voluntas lumine tanquam instrumento utitur, ut intellectum faciat proxime idoneum ad visionem. Cum potentia obedientialis sit tandem finita, lumen quoque gloriae, quo ipsa perficitur et applicatur ad obiectum, est pariter finitum. Cf. Tract. praec. Th. 41.

Estne prorsus necessarium hoc lumen? Utique opus est omnino ut intellectus elevetur virtute Dei, id autem posset quidem Deus praestare actu efficaci suae voluntatis absque ullo medio: at rerum naturis conforme est, ut in subiecto dispositio realis ad formam exsistat, et haec dispositio ad videndum Deum fit in intellectu per lumen gloriae. Cf. Suarez *De Deo* lib. 2. c. 16.

Huius necessitatem Ecclesia probavit, cum damnavit in Conc. Viennensi sententiam Beguardorum dicentium: *quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum.* Quod praecipue intendit definitio est necessitas elevationis; lumen vero creatum exigit secundum Dei potentiam ordinariam, non absolutam.

Cum lumen gloriae corroboret intellectum augens eius vires, ut hic per illud possit quod ex se solo non posset, manifestum est, lumen

istud se tenere ex parte subiecti quod ab eo veluti informatur. Unde Theologi putant illud se habere instar habitus cuiusdam. Reapse est per virtutem Dei efficax elevatio potentiae ad elicendum actum visionis Dei. Nec plura de eo sciscitari oportet quae neque a sacris litteris neque a Patribus mutuari licet: et cf. rursus Tract. mox cit. Non satis autem bene provocatur ad verba Psalmi superius recitata: *et in lumine tuo videbimus lumen*, etsi de visione divina quis velit ea accipere, ut luminis huius exsistentiam probetur; nam quid vetat illud lumen (in lumine tuo) accipere pro ipso increato lumine h. e. Deo qui se videntibus manifestat. Cf. Petavium *de Deo* l. 7. c. 8. Sane idem est *in quo* et *quod* videtur iuxta Psalmistam.

§. 68. — **Deus claritate sua intrinsece illapsus in intellectum beati ab eo videtur absque ope illius speciei quam dicunt impressam; ipse autem actus visionis totus est ab intellectu elevato, quin verbum ullum producat proprie dictum.**

1. Diximus Deum esse maxime cognoscibilem in se atque hanc esse claritatem suam, quae impervia est tamen intellectibus creatis sibi relictis. At elevatus intellectus per lumen gloriae idoneus fit tantae luci accipiendae, ideoque Deus qui ubique est praesens quin videatur, manifestus evadit beato. Manifestatio autem Dei simul est cum actu visionis, quae directe et immediate fertur in Deum, qui intus exsistens intellectum cogit ad sui visionem. « Essentia divina, ait s. Thomas 1. p. q., 12. a. 2., unitur intellectui creato ut intellectum (res intellecta) in actu, per se ipsam faciens intellectum (potentiam) in actu ».

2. Quocirca nulla est opus similitudine gerente vicem obiecti qua determinetur intellectus ad actum: tum quia obiectum est praesens immediate et maxime cognoscibile; tum quia nulla res creata potest repraesentare essentiam Dei prout est in se. Quod spectat ad nostram quaestionem s. Th. art. cit. docet: « Ex parte rei visae, quam necesse est uniri aliquo modo videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest ».

3. Quamvis, ut diximus, opus sit intellectui lumine gloriae, ut virtus intelligendi augeatur (s. Thom. ibid. a. 5.), actus tamen visionis totus quantus est, ab intellectu utique per lumen gloriae ipsum informante elevato procedit. Ratio est quia actus iste est actus vitalis: oportet ergo ut procedat a principio vitali, quod heic est solus intellectus. Nec tamen lumen gloriae nihil praestat; nam efficit ut potentia obedientalis intellectus ad actum reducatur, ut fiat actu capax intellectus ad eliciendum actum visionis, atque per illud Deus concurrit ad actum

sub ratione entis, ideoque sub hoc respectu est quoque actus totus a Deo. Sed vis, qua immanenter elicitur actus visionis, debet esse vis ipsius intellectus hoc est ipse intellectus utique elevatus; ipse est enim intellectus qui videt et nemo alius, vis autem ab eo distincta non est ipse.

4. Quod spectat ad verbum, sunt qui distinguunt realiter inter actum cognitionis intellectivae et verbum tanquam ab eo procedens, sunt qui censent actum cognitionis in facto esse seu completum, ipsum esse verbum. Cf. Suarez *de Deo* l. 2. c. 11. seqq. Iam vero verbum proprie dictum accipimus in priore sententia, ut nempe aliud quid sit ab ipsa cognitione, ex qua procedit. Si autem idem reapse sit ac intellectio, iam sub hoc nomine illud, quidquid sit, intelligitur; nam intellectio heic certe non excluditur.

5. Porro in visione beatifica non putamus locum habere verbum distinctum ab intellectione. Verbum enim ab intellectu producitur, ut in eo obiectum, quod absens est, contempletur, quod idcirco vicem obiecti supplet: atqui beato Deus est intime praesens; impeditur igitur intellectus ne verbum producat.

Praeterea haec foret repraesentatio divinae essentiae qualis est in se, per rem creatam: atqui id fieri nequit; cum quaelibet res vel maxime perfecta distet infinite a Deo, et proinde nequit illum, qualis est in se, repraesentare.

Quia tamen manet intellectui vis reflexiva, intellectus qui videt Deum, supra se reflectens, sentit et cogitat se videre atque videre Deum. Atque hoc quidem aliis testari potest: quid autem sit quod videt dicere nequit (a); deficiente quavis forma creata, quae increatum repraesentare valeat.

6. Occurrit gravis difficultas ex Suarez l. c. Sane diximus cum s. Thoma nullam similitudinem creatam haberi posse, quae Deum, ut in se est, repraesentet: atqui, ait Suarez, actus intellectualis cognitionis est quaedam vitalis repraesentatio rei cognitae et idcirco actus beatificae visionis Dei ut in se est, est repraesentatio creata eiusdem, et quia isti actus non sunt pares et possunt in infinitum esse perfectiores, habes non unam sed infinitas possibiles similitudines Dei ut in se est. Et si ita est, cur reiicitur verbum? Respondeo, est ne certum, actum cognitionis, prout praescindit a verbo ab ea procedente, esse similitudinem obiecti cogniti? Nescio quomodo id probetur; nam quod similitudinem cognitorum geramus in mente, id referendum est verbo mentis

(a) Cf. *Divina Commedia, Par.* I. terz. 2.-4. cum nostro Comm.

quod sibi mens fingit, cum obiectum non est praesens vel illud recogitat. Et re quidem vera in simplici cognitione, praecisione facta a verbo, non apparet nisi vitalis quaedam apprehensio rei: cur haec apprehensio sit similitudo non apparet: secus autem quorsum verbum supervenit? Hinc simplicem cognitionem esse similitudinem non concedunt ii teologi, qui ideo negant, a beatis produci verbum eo quod nulla possit esse similitudo Deum repraesentans qualis est in se, cuius modi sunt thomistae, qui non negant beatis actum intellectionis.

§. 69. — **Beati videntes Deum plane intelligunt mysterium Trinitatis.**

1. Id consequitur necessario ex visione intuitiva: *videbimus* enim *eum sicuti est:* atqui Deus ita subsistit, ut sit Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Profecto visio Dei sicuti est exigit ut videatur Deus in sua entitate et natura conceptu proprio, nempe individuali ipsius Dei: porro Deus est essentialiter Trinus, atque hic est a parte rei eius conceptus proprius, ut sit una summa res Pater, Verbum et Spiritus Sanctus. Sane fieri nequit, ut videns immediate obiectum aliquod non videat ea quae in ipso formaliter prostant ipsumque intrinsece constituunt, atqui huiusmodi sunt in Deo personae divinae earumque processiones.

2. Et re quidem vera visio beata erit complementum et praemium fidei, ut ibi videamus quod heic credimus: *Videmus nunc per speculum* mediate scilicet (cf. §. 65. 3.) *in aenigmate*, hoc est obscure, tanquam lucerna fidei lucente in caliginoso loco (2. Petr. III. 19.); *tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* 1. Cor. XIII. 12. *Per fidem enim ambulamus et non per speciem* 2. Cor. V. 7. Fidei scilicet succedet species εἶδος, ut facie ad faciem videamus quod nunc in aenigmate tenemus. Si autem cognoscam sicut et cognitus sum (utique a Deo), oportet, ut cognitio beati sit ita perfecta, ut videat quidquid in Deo est atque Deus est. Quae quidem comparatio inter cognitionem beati et cognitionem Dei, non eo spectat, quod per se manifestum est, ut eadem sit perfectio utriusque, sed ut ostendat « sine ullo medio offuscante seu diminuente notitiam, imo eodem medio; nam cognoscam Deum in ipsa Deitate ut medio, quemadmodum ego sum cognitus a Deo in ipsa eadem Deitate », ut ait Caietanus (cf. Cornely in 1. Cor. XIII. 12.). Beatos videre Deum trinum et unum definivit Florentina Synodus in decreto Unionis.

3. Iam vero Deus « una summa res est, quae veraciter est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae ac singillatim quaelibet earundem et ideo in Deo solummodo Trinitas est non quaternitas; quia

quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina: at illa res non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctio sit in personis et unitas in natura» (Innocentius III. in Conc. Later. IV.). Cum autem hanc summam rem beatus intuetur, videns immediate Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, oportet ut videat et intelligat quomodo haec ita se habeant, quomodo Pater generat, Filius gignitur, quomodo Pater et Filius spirant ac Spiritus Sanctus spiratur, atque cur istae processiones necessariae et essentiales sint divinae naturae, ita ut Deus non esset nisi esset trinus. Nam id postulat visio intuitiva personarum, quae constituuntur relationibus unumque sunt cum natura; visio enim intuitiva obiecti simplicissimi, qualis est Deus, oportet ut apprehendat ipsum totum et quidquid in illo est: secus autem adhuc locus esset fidei circa ipsum obiectum beatitudinis in iis quae nunc credimus; quod esse nequit.

4. Quaestiones subtiles hac in re agebant olim scholastici: an videri scilicet possit divina natura quin videantur personae, de quibus cf. Suarez *de Deo* lib. 2. c. 23.: sed conclusio tandem inter sapientiores ea erat quam nos heic proposuimus.

§. 70. — Visio intuitiva Dei gradus perfectionis admittit atque maior est vel minor ratione habita meritorum.

1. Sane si subiectum consideras, visio eius, quantumvis perfecta, est actus finitus: quod autem finitum est semper augeri potest et gradibus constare diversae perfectionis. Si obiectum consideras: Deus est infinite cognoscibilis, qui idcirco habet in se quo respondeat diversis secundum perfectionem visionibus: ergo.

2. Et re quidem vera opus est ita esse ut proportionata retributio meritis reddatur. Beatitudo enim est merces et praemium quod meritis rependitur: porro merita beatorum non esse aequalia manifestum est. Sane nonnisi haec inaequalitas potest excogitari ratio cur iusti resurgentes non eadem erunt gloria induti, sed *sicut stella differt a stella in claritate sic* (erit) *et resurrectio mortuorum* 1. Cor. XV. 41. 42. Discrimen in gloria corporis indicium est discriminis in perfectione animae, in excellentia meritorum. Atque idem Apostolus ibid. III. 8. docet, quod *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Si *propria* erit uniuscuiusque, respondens *suo* labori, non eadem merces erit omnibus, quemadmodum nec omnes eodem pacto laboraverunt. Item 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante*

tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, propria scilicet, quae gessit in corpore, in hac vita mortali. Et sane Christus ipse distinxit inter eos qui servant solum mandata aeternamque consequuntur vitam, et eos qui volentes esse perfecti, venditis omnibus, ipsum sequuntur, habituri thesaurum in caelo. Matth. XIX. 17.-21. Ergo non omnes iusti pares in hac et in altera vita. Secundum haec interpretari licet verba Christi Ioan. XIV. 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* quae ita multae sint ut sint etiam gradu perfectionis differentes. Itaque « intellectus plus participans de lumine gloriae, perfectius Deum videbit. Plus autem participat de lumine gloriae, qui plus habet de caritate ». S. Thom. 1. p. q. 12. a. 6.

Atque ita in Conc. Flor. in decreto Unionis definitum est, animas omni labe purgatas in caelum mox recipi et intueri clare ipsum « Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius ».

3. Quid ergo est, quod in parabola operariorum (Matth. XX. 1. seqq.) dicitur, idem praemium operariis tribuendum quamvis diversissimum subiverint laborem?

Respondeo, in hac parabola oportere spectare duo quae in ipsa eminent eiusque propriam indolem constituunt, nempe discrimen plus minus temporis, cum quidam tota die, quidam paucis horis, quidam una hora laborent, atque aequalitatem mercedis pro omnibus, unum denarium. His inspectis liquet, voluisse Christum docere, diuturnitatem temporis in Dei famulatu per se non efficere, ut quis ampliorem mercedem consequatur, quam alter qui minus temporis impendit. Fieri enim potest et non raro fit, ut brevi tempore aliquis intensius et ferventius operans uberiorique gratia perfusus, quam Deo licet cui vult impertiri, idem mereatur praemium, quod alter longiore tempore sed remissius operans minusque efficacibus gratiae donis cumulatus consecutus est. Sic primi fiunt novissimi et novissimi primi hoc est omnes pares, quemadmodum parabola ostendit, in qua cuncti eandem accipiunt mercedem non aliam et praestantiorem novissimi, inferiorem primi: scilicet omnes aequiparantur, non alius alii praefertur. In negotio salutis plus proficit divina gratia et fervor operantis, quam temporis latitudo: hoc voluit Christus docere. Quocirca nec opus est ut aliqui exsistant sancti merito pares: Christus non factum spectat sed quid per se res postulat. Cf. Suarez de Deo lib. 2. c. 20. parabolam egregie interpretantem.

Porro id non perinde est ac dicere, merita omnium sanctorum esse aequalia, ut per se patet. Adverte verba, quae sequuntur: *multi*

enim sunt vocati, pauci vero electi haud certum omnino esse quod huc spectent et cf. de his Knabenbauer in Commentario in hunc locum.

4. Diximus visionem Dei in caelo respondere meritis; id tamen non impedit, quominus Deus, si velit, plus etiam donet quam merita postulant; Dominus est enim suorum donorum, dummodo cuique conferat quod eius meritis debetur iuxta ordinationem providentiae suae.

§. 71. — Visio intuitiva Dei non infert necessario cognitionem aliarum rerum: fieri tamen potest, ut ex viso Deo plus minus perfecte beatus apprehendat essentias rerum et possibilia, quae proprio etiam conceptu percipiat distinto a visione Dei.

1. Sane videns Deum videt utique quidquid in Deo est: at ut sit visio Dei, non opus est videntem aliud videre praeter Deum et cum haec visio, eo quod est finita, admittat gradus, fieri potest ut extremus gradus in eo sistat ut solum Deus videatur. Iam vero licet ceterae res creatae atque creabiles sint in Deo eminenter, non sunt tamen formaliter, ut autem illae cognoscantur, oportet apprehendere singulas in propria formalitate, hominis ex. gr. bovis, solis, lunae etc.; atqui in Deo nihil est huiusmodi. Quamvis autem videns Deum videat intellectum divinum, non hoc ipso videt terminum eius seu rem ab eo cognitam, tum quia haec est aliud ab ipso intellectu, tum quia praeterea intellectus divinus idem in se ipso manet sive haec sive illa cognoscat sive nihil extra se cognoscat, ut idcirco illum videns nondum discernere quis possit ad quid mens divina terminetur.

2. Nihilominus tanta esse potest perfectio visionis Dei, ut videns Deum cognoscat quoque alia; nunc autem dicimus essentias rerum et possibilia, quin de amplitudine huius cognitionis modo disputemus. Sane haec omnia sunt effectus Dei, porro cognoscens Deum cognoscere potest ipsum etiam ut causam, cognoscens autem ut causam cognoscit quodammodo eius effectus sive id quod facere valet: quo ergo perfectius cognoscit causam, perfectius quoque cognoscit effectus atque adeo excellens potest esse cognitio causae, ut clare et distincte cognoscat effectus possibiles. Item Deus est speculum rerum quatenus est earum supremum exemplar; atqui potest esse adeo perfecta cognitio exemplaris, ut exemplata (sit venia verbo) distincte apprehendantur. Ergo videns Deum potest possibilia cognoscere eorumque essentias, quum ea Deus producere possit eaque sint ex illo supremo exemplari derivata. Cf. s. Thom. 1. p. q. 12. a. 8.

3. Iam vero quomodo haec a beato cognoscuntur? an actus visionis Dei, idem actus manens, terminatur ad haec cognita? Fieri id quidem

potest; nam uno actu apprehendi possunt quae sunt connexa, praesertim si sint connexa necessario : huiusmodi autem sunt possibilia et essentiae rerum, quae connexionem habent necessariam cum essentia divina. Hoc pacto res dicuntur videri *in Deo*. Verum et alius modus praesto est. Nam generatim qui ex causa cognoscit effectum et qui ex exemplari cognoscit exemplatum, novum sibi effingit conceptum; alium a conceptu causae et exemplaris, duo scilicet distinguit, causam et causatum, exemplar et exemplatum atque utrumque proprio conceptu contemplatur.

Porro cum conceptum dicimus, actum ipsum intellectus cognoscentis intelligimus; ut proinde duo sint actus cognitionis, alter quo Deus cognoscitur, alter quo possibilia. Ex visione scilicet Dei determinatur intellectus ad concipienda alia a Deo. Atque hoc pacto quoque dicere licet, intellectum beatum videre essentias rerum earumque possibilitatem in Deo, quatenus ex visione Dei haec altera prodit cognitio. Ceterum haec phrasis in *Deo* ambigua est; neque enim res videntur tanquam in Deo sitae, sed per Deum videntur, at praeter Deum.

§. 72. — Exsistentia quoque et futura beatus cognoscere potest, non eodem tamen prorsus modo.

1. Certum est plura in facto posita videri a beatis. Sic Angeli eos noscunt quos tuentur, sic Sancti sciunt preces et necessitates ipsos invocantium, atque id postulat communio sanctorum.

2. Quaeritur vero quo pacto ea quae exsistunt videantur a beatis. Idem ex parte respondendum censemus quod in praeced. §. scilicet potest tanta esse perfectio visionis Dei, ut ipsa attingat quoque res creatas exsistentes; sunt enim hae connexae cum Deo tanquam effectus cum causa: uno autem eodemque actu possunt attingi simul connexa inter se. Cum autem res singulae desinunt exsistere, aliaeque successerint, idem actus et illarum desitionem attinget atque harum exordium.

3. Verum et alio modo possunt beati cognoscere exsistentia. Non quidem quemadmodum possibilia; nam exsistentia rerum contingens est et causa prima eas quidem producere potest, idque qui causam videt, intelligit: at quantumvis causam scruteris nunquam certior fies an hi vel illi effectus, an aliqui ab ea processerint, cum nulla necessitas sit huius productionis.

Restat ergo ut alter modus sit quaedam revelatio Dei, seu actio qua intellectus beatorum a Deo determinetur ad videndum ea quae exsistunt, qua determinatione intellectus immediate feratur in ipsas res. Atque hoc intelligimus cum dicimus res videri; directe eas attingi ab intellectu ut in se sunt.

4. Atque hoc pacto dicendi sunt beati cognoscere mala moralia, peccata, quibus haec nostra tellus adeo redundat. Etenim eorum neque Deus est causa neque exemplar, nequeunt ergo in Deo tanquam causa et exemplari videri, nec potest actus visionis Dei extendi ad mala, quae nullam cum ipso habent connexionem. Reliquum est igitur ut haec a beatis in ipsis creaturis videantur, vi supradictae determinationis divinae, qua intellectus beatus ad res exsistentes convertitur.

5. Difficultas specialis est quoad futura. Non dubitatur beatos quaedam futura plus minus cognoscere: id ipse Christus significavit, cum dixit, de die iudicii neminem scire neque Angelos in caelo: quibus in postremis verbis emphasis est ac si dixisset; quamvis Angeli in caelo futura cognoscant, hoc tamen futurum ignorare. Et cum prophetiae dono instruxerit Deus plures viatores, mirum foret eo destitui beatos. Utique prophetiae donum collatum est hominibus in favorem et utilitatem aliorum, at conducere quoque potest ad utilitatem aliorum, nempe viatorum, si sanctis in caelo conferatur. Ceterum dubitare non licet beatos posse cognoscere futura, sed quaestio est de modo et quaeritur an eo ipso quod vident Deum intuitive, etiam futura intueantur, ita ut ille actus visionis Dei terminetur quoque in futuris. S. Thomas 1. p. q. 14. a. 13. disputans an Deus cognoscat futura contingentia, docet ea Deum cognoscere non successive sed simul, quia sua cognitio mensuratur aeternitate, quae est tota simul ambiens omne tempus: « unde quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia non solum ea ratione qua habet rationes eorum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab aeterno super omnia prout sunt in sua praesentialitate ». Haec tamen cognitio propria intellectus aeterni nequit asseri alicui creaturae. Intellectui quoque beatorum res futurae non sunt praesentes sed simpliciter futurae. Inde vero consequens est, eas in se ipsis ab illis non videri; quomodo enim videas quod non est? Non potest ergo actus beatorum quo intuentur Deum extendi et terminari ad ipsas res futuras, quae non sunt, nec potest intellectus beati determinari a Deo ad eas videndas, impossibilis est enim visio rei non exsistentis nec praesentis. Restat igitur ut beati futura cognoscant alio modo nimirum per revelationem, quae fit illustratione gratuita intellectus, qua notitiae infusae acquiruntur.

Profecto si de cognoscendis malis actibus futuris agitur, ipsi, ut iam diximus, nequeunt in Deo videri; cum itaque neque in creaturis videantur quibus insunt, quia non videntur creaturae adhuc futurae, oportet ut per aliquam revelationem, qua res futurae manifestantur cum omnibus suis adiunctis, mala moralia manifestentur.

§. 73. — Beatus videns Deum non hoc ipso cognoscit decreta divinae voluntatis.

1. Solet afferri ad id probandum textus Apostoli 1. Cor. II. 11. *Quis enim hominum scit quae sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita et quae sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Quae sunt hominis non sunt natura eiusque proprietates: nam haec certe et ab aliis cognoscuntur, sed sunt cogitationes, actus liberi, quos solus scrutatur Deus: ergo, iuxta Paulum, solus Spiritus Dei cognoscit Dei decreta. Imo sicut solus spiritus hominis (excepto utique Deo) potest scire quae sunt hominis, ita solus Spiritus Dei (nemine excepto cum Deus non habeat superiorem) potest cognoscere cogitationes et decreta Dei. Verum hoc argumentum probat quidem, naturali vi nullam creaturam attingere posse decreta Dei, sed si sermo sit de creatura elevata, de vidente Deum deficit demonstratio.

2. Efficacius argumentum ex eo ducitur quod Angeli in caelo ignorant diem iudicii (Marc. XIII. 32.): ipsi enim Deum vident (Matth. XVIII. 10.): iam vero si visio inferret ex se notitiam decretorum Dei, Angeli videntes Deum et hoc et cetera cognoscerent, nec esset ratio discriminis potius pro uno quam pro alio; nam idem est medium par omnibus decretis manifestandis et manifestatio, secundum hypothesim, necessario sequeretur. Illa ergo ignorantia Angelorum ostendit, ex visione Dei non sequi notitiam decretorum Dei, quae si Angeli noscunt, aliunde ea nosse. Suarez (de Deo l. 2. c. 27.) negat ex hoc textu colligi certe doctrinam de fide; quia illud *nemo scit* explicare licet per *nemo scit scientia communicabili*, quae, ut mihi videtur, est arbitraria interpretatio. Nam etsi haec valeat pro Filio, qui etiam quatenus homo non videtur potuisse ignorare ea quae ad eius officium spectabant cuiusmodi erat dies iudicii, ipse enim constitutus erat iudex: id tamen non valet pro Angelis. Nam Christus dicitur nescire scientia communicabili non quia simpliciter non communicat; sic enim et Pater dicendus esset nescire, sed quia cum assumpserit officium docendi homines et plura sane docuerit, illud noluit docere. Atqui hoc officium non competebat Angelis; ergo perperam circa illos ea interpretatio adhibetur. Sententia Theologorum (cf. Suarez de Deo l. 2. c. 24.) in illud concedit quod in thesi proposuimus, cuius ratio non est difficilis.

3. Sane, quod iam monuimus de intellectu divino loquentes (§. 69. 1.), divina voluntas in sua entitate spectata, eadem est sive velit sive nolit sive velit hoc vel illud (id demonstravimus in Institutionibus Philos. Theol. th. 33.), cum sola transcendentali terminatione ad obiectum,

quae nullam entitatem nullumque modum ponit in Deo. Ergo videns Deum, videns intellectum et voluntatem divinam, quae sunt ipse Deus subsistens, quantumvis illa scrutetur, nisi aliud medium ei praesto sit, nunquam sciet quid velit Deus.

Idque congruum est divinae maiestati et independentiae, ut amicis quoque et familiaribus suis secreta sint et arcana quae ipse meditatur et decernit.

4. Nihilominus integrum est Deo ea manifestare si velit et cui velit. Id autem putamus fieri per gratuitam revelationem. An autem ex ipsa visione Dei, Deo utique libere id volente, consequi possit beatus huiusmodi notitias, disputat Suarez l. c. c. 27. n. 12. quem cf. sis.

Profecto probabilissimum est Deum quaedam sua decreta manifestare beatis, sive ut dilectis specialia exhibeat amicitiae signa, signum est enim amicitiae sua secreta alteri manifestare, secundum illud Christi: *vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis* Ioan. XV. 15., sive quia id conducit ad exsequenda munera eis imposita protegendi aut defendendi aut consolandi homines viatores suamque Ecclesiam.

§. 74. — Multiplex est scientia beatorum.

1. Experientia constat, intellectum nostrum posse simul plura obiecta disparata cogitare: idque commune aliis facultatibus est cognoscitivis; oculus enim plura obiecta disparatissima simul videt, auris plures sonos pluresque voces nullatenus convenientes audit simul, ut mirum esse non debeat, intellectum beati plura simul cognoscere. Quid enim obstat? cum intellectus est in actu erga aliquod obiectum, potentia eius non exhauritur: poterit ergo simul erga aliud exerceri, nec unus actus impediet alium, quia potentia adaequatur utrique.

Quod si fatigatio occurrat ex parte sensus, haec non habet locum in beatis. Hinc permanente incessanter visione Dei potest intellectus beati alia cogitare quin ea videat in ipso Deo. Et sane, ut iam praeoccupavimus, potest beatus quaedam per revelationem accipere, quae in Deo non videt: quid enim id prohibet? Cf. 1. s. Thom. 1. p. q. 106. a. 4. ad 3. Neque est cur affirmetur, facultatem naturalem intellectus manere otiosum. Cum beati corpora resumpserint, exercebuntur et sensus, notitiam autem sensibilem sequitur naturaliter cognitio intellectualis; intellectus proinde intelliget percepta per sensus vi sua naturali quin ea videat in Deo.

2. Apostolus ad Ephesios III. 10. dicit *innotescere principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformem sapientiam Dei:* scilicet Angeli ex ipsa Ecclesia visa, ex viso nempe hoc opere Dei notitiam quandam specialem accipiunt sapientiae Dei. Item scholastici omnes cum pseudo-Dionysio censent Angelos superiores illuminare inferiores, ut ea quae superiores vident in Verbo communicent inferioribus. S. Thom. 1. p. q. 106. a. 1. Ergo inferiores ea non vident in Verbo; cum autem iidem nunquam desinant videre Verbum, duplici proinde simul cognitione ditantur. Nonne tandem Angeli et Sancti simul colloquuntur? at quae sibi dicunt, profecto non per Verbum dicunt aut percipiunt, sed per propriam cognitionem cogitationis alterius. S. Thom. 1. p. q. 107.

Hoc pacto, puto, vident beati nostras cogitationes, nostra desideria et exaudiunt nostras preces. Quemadmodum enim Angelus videt alterius Angeli cogitationem (s. Thom. l. c.) ita anima separata, multoque magis beata idem videre potest. Nec obest distantia nostra ab illis: in hoc enim modo cognoscendi sicut nihil confert proximitas, ita nihil obest longinquitas, ut dicere liceat

« Presso e lontano lì nè pon nè leva »
Parad. XXX. 141.

huiusmodi enim spirituales actiones nullo definiuntur loco, ab eo prorsus independentes.

3. Itaque distinguere licet tria principia cognitionis beatorum, visionem Dei, revelationem Dei, facultatem naturalem, atque certe cognitio ex alterutro de duobus postremis simul est cum visione Dei.

§. 75. — Deus est incomprehensibilis beatis.

1. Nimirum creatae naturae cuilibet etiam quantum fieri potest perfectissime, iuxta modum suum, Deum intuitive videnti Deus manet incomprehensibilis. Comprehensio est visio, sed talis visio ut nihil rei visae lateat videntem illiusque fines a vidente circumspiciantur, ut ait s. Augustinus epist. 147. (al. 112.), sive illud comprehenditur quod scientis comprehensione finitur, ut scilicet res cognita etsi infinita, cognoscentis intuitione finiatur, ut idem ait *de Civit. Dei* l. 12. c. 18.

2. In quo autem sita sit haec comprehensio, sive quid necesse foret, ut Deus diceretur comprehendi, disputant Theologi. Cf. Suarez *de Deo* l. 2. c. 29. atque in 3^{m} p. d. 26. sect. 2. tum Petavium Theol. Dogm. *de Deo* l. 7. c. c. 3. 4. 2. Certum est, quod docet Suarez, l. priore cit. n. 13. ad comprehensionem non satis esse cognoscere totum id, quod

in re cognita formaliter inest, sed etiam illa oportet ita cognoscere, ut ex vi talis modi cognoscendi ea videantur omnia quae quovis modo ab illa essentia emanant aut emanare possint. Porro huc redire comprehensionem Dei censet Petavius, idemque Suarez qui subdit. « Et hoc ipsum est cognosci non tantum rem *totam* sed etiam *totaliter*, idemque est rem comprehensam scientis comprehensione finiri, ut ait Augustinus ». Quocirca concludit Suarez: « Quia ergo visio beata hoc non habet neque habere potest, ideo comprehensio non est. Et haec fuit ratio s. Thomae 1. p. q. 12. a. 8. ».

Alii ad comprehensionem postulant etiam aliquid ex parte videntis, ut actus eius perfectione sui respondeat perfectioni obiecti visi. Cf. Petavium l. c. c. 4. n. 9. Verum monet Suarez l. c. id esse praeter conceptum comprehensionis, quamvis possit esse consequens ipsius. Ad comprehensionem enim sufficit, ut obiectum videatur totum et totaliter; videtur autem totaliter, cum non solum quidquid in ipso est clare et distincte videtur sed eadem claritate videtur quidquid ab ipso procedere potest.

3. Hoc ergo pacto argumentum proponi potest. Agitur de obiecto infinito comprehendendo. Certum est visionem ipsius posse esse alia aliam perfectiorem prout lumen gloriae plus minus perfectum est; porro comprehensio Entis infiniti erit perfectissima inter visiones possibiles, aequaretur enim obiective cognitioni quam Deus de se ipso habet, atqui haec perfectissima visio est impossibilis, quia in serie syncategorematica visionum semper perfectiorum deest necessario ultima.

4. Ceterum quaecunque sit explicatio incomprehensibilitatis, res est de fide certa, Deum esse incomprehensibilem: quod ut concipias, satis erit te quod modo diximus cogitare, nullam cognitionem aut visionem Dei tanta posse perfectione pollere, ut nulla alia perfectior esse queat. Atque huc facit admonitio Suarez (l. altero cit. n. 7.) « saepe veritatem aliquam esse de Fide certam, modum autem explicandi illam cadere sub opinionem ». Definitio prostat in Conc. Lateranensi 3. « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, *incomprehensibilis*, omnipotens et ineffabilis ». Idem repetit Conc. Vatic. sess. 3. in Const. de Fide catholica.

§. 76. — Visionem necessario consequitur amor et gaudium.

1. Constat voluntatem ferri naturae suae necessitate in bonum, ut nihil velle possit, etiam quae mala sunt, nisi sub ratione boni: si autem bona finita sint, quae eius appetitum non exhauriunt, potitur circa

ea libertate indifferentiae. At si bonum sit infinitum, cum plene expleat capacitatem voluntatis et actu ipsi obiiciat quod ipsa in genere expetit, nequit voluntas ipsum non amare, quemadmodum nequit non amare bonum. Necessario ergo voluntas beati complacet sibi in Deo viso, et quia hoc bonum infinitum est intelligens et offert se voluntati tanquam benefacientem et amicum, eundem ipsa redamat necessario in eius amicitia quiescens.

Hinc sequitur beatum, in sensu composito cum visione Dei, peccare non posse, cum necessario adhaereat fini suo.

Neque idcirco desinit libertas beati, quae circa cetera bona finita exerceri potest.

2. Quia vero cum haec duo adsint, consecutio nempe boni convenientis et cognitio huius adeptionis, sequitur naturaliter gaudium (1. 2. q. 32. a. 1.), idcirco oportet ut beatus summum experiatur gaudium adeptus maximum bonum, illudque perfecte cognoscens.

§. 77. — Beatitudo non in sola visione consistit, sed ad suam essentiam constituendam postulat amorem et gaudium.

1. Haec est quaestio mere theologica. Duo quaeri possunt: a) quaenam sit facultas quae accipit ac possidet obiectum beatificans, atque huic quaestioni respondere licet, facultatem hanc esse intellectum, qui attrahit ad se Deum, eumque sibi immediate coniunctum contemplatur. At si quaeratur quid ad essentiam beatitudinis requiratur, dicendum est, praeter visionem requiri amorem et gaudium, idque ex ipsis terminis est manifestum. Non sufficit enim ut sis beatus, possidere id unde gaudeas nisi reapse in bono possesso complaceas tibi et gaudeas: quocirca hi actus voluntatis sunt quidem consequentes ad visionem, non autem ad beatitudinem, sed ipsam cum visione constituunt essentialiter et absolvunt. Quis enim potest esse beatus qui non delectetur et gaudeat? gaudium ergo amantis spectat formaliter ad beatitudinem.

§. 78. — Probabile est beatitudinem sanctorum maiorem fore intensive post resurrectionem.

1. Quod *extensive* futura sit maior, certum est. Nam beatitudo tunc erit nedum in anima, sed etiam in corpore, imo ipsius animae beatitudo augebitur extensive; gaudebit enim anima non solum de bono proprio sed etiam de bono corporis. Ita s. Thom. in 4^{m} d. 49. q. 1.

2. Imo subdit idem : « potest etiam dici, quod ipsius animae beatitudo *intensive* augebitur ». Et ratio est quia resurrectione facta rursus exsistet homo: porro quemadmodum homo perfectior est quam anima sola, sive ipsa anima coniuncta corpori perfectior est quam seorsim exsistens, quia habet perfectius esse, ita quoque operationes hominis sunt perfectiores; operatio enim sequitur esse eiusque perfectioni respondet. Utique in hac vita corpus aggravat animam, sed post resurrectionem omnia impedimenta ex parte corporis ablata erunt, ideoque simpliciter melius et perfectius erit esse hominis quam solius animae. Itaque operatio ipsa intellectus seu visio perfectior erit (a). Et re quidem vera, qui praemio donandus est proprie est homo, non anima sola; conveniens igitur videtur ut integrum essentiale praemium homini resurgenti reservetur; atque ita convenientia universalis iudicii post singula iudicia particularia manifestior apparet.

§. 79. — Praeter beatitudinem essentialem, quae eadem semper manet, locus est quoque beatitudini accidentali.

1. Beatitudinem essentialem voco illum gradum visionis ac consequentis amoris et gaudii qui respondet meritis. Haec beatitudo manet in aeternum qualis ab initio fuit. Qua in re adverte, quod si beatitudo sanctorum post resurrectionem crescit, ut probabile censuimus §. praeced., hoc alterum initium tanquam complementum primi sumendum est ex quo dicimus immutabilem evadere beatitudinem. Ratio huius immutabilitatis est, quod beatitudo eiusque determinatus gradus rependitur meritis; atqui merita sunt ea quae heic in vita mortali comparata sunt, post ingressum in gloriam nullus est amplius locus meritis: ergo.

2. Duplex autem hypothesis fieri potest in explicanda hac permanente beatitudine. Nempe 1. quod Deus voluerit, gradum visionis Dei et ceterorum connexorum, qui fuit ab initio, manere eundem numero per totam aeternitatem: 2. quod Deus voluerit quidem pro diversis meritis gradus esse diversos, in singulis tamen gradibus progressus fieri, ut singuli beati perfectius semper videant quod ab initio viderunt. Nec timendum est, ne singulis his successivis visionibus exhauriant obiectum infinitum. Cum sit in potestate Dei hoc pacto disponere mercedem, haec altera hypothesis non est improbabilis. Atque in hac hypothesi quoque verum est, eandem mercedem manere quae collata est ab initio; nam singulis mercedibus ab initio collatis id competit ut semper crescant, singulae in suo ordine, ut maiores plenius augeantur.

(a) In Summa tamen 1. 2. q. 4. a. 5. aliter s. Doctor locutus est.

Dices, ita fiet ut beatitudo inferioris in caelo evadat par beatitudini Deiparae: nego consequens; nam et ipsa beatitudo b. Virginis modo sibi convenienti semper augeretur. Cetérum tenendum est nos de his caelestibus rebus multo plus ignorare quam scire; quae nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt.

3. Beatitudini accidentali accensere licet novas revelationes, elevationem ad quaedam munera obeunda, exauditionem eorum precum, gaudium de fructu operum suorum qui frequenter obtineatur in terra, gaudium de adventu sociorum, amicorum in caelum, et si qua sunt huiusmodi. Haec ad essentialem beatitudinem non spectant, integrumque est Deo ea largiri cui vult, quin ulli faciat iniuriam, cui non debetur nisi visio Dei et gradus visionis respondens meritis heic acquisitis. Relinquendus est praeterea etiam in illo regno beatitudinis locus liberalitati divinae.

4. Ad hanc beatitudinem accidentalem pertinent *aureolae*, de quibus veteres scholastici plura. S. Thomas in 4. d. 49. q. 5. a. 1. docet quid sit aureola. « Praemium, inquit, essentiale hominis quod est eius beatitudo, consistit in perfecta coniunctione animae ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte: hoc autem praemium metaforice dicitur *aurea*... Huic autem essentiali praemio, quod aurea dicitur, aliud superadditur... ratione operis meritorii, quod quidem rationem meriti habet ex duobus, ex quibus etiam habet bonitatis rationem, scilicet *ex radice caritatis*, qua refertur in finem ultimum et sic debetur ei praemium essentiale, scilicet perventio ad finem, quae est *aurea*, et *ex ipso genere actus*, quod laudabilitatem quandam habet ex debitis circumstantiis et ex habitu eliciente et ex proximo fine, et sic debetur ei quoddam accidentale praemium *quod aureola* dicitur. Et sic dicendum est quod aureola dicit aliquid aureae superadditum, idest quoddam gaudium de operibus a se factis, quia habent rationem victoriae excellentis ».

Porro excellentem victoriam assequuntur martyres, virgines, doctores: martyres, eo quod perfectissimam victoriam obtinuerunt de impugnationibus exterioribus, virgines propter excellentissimam victoriam in pugna contra carnem et desideria carnis, doctores propter perfectam victoriam contra diabolum, quem expellerunt, non solum a se, sed etiam ab aliis docendo (l. c. d. 49. q. 1. a. 3. ql. 1. seqq.).

5. Haec non puto s. Doctorem tanquam indubitata docuisse, sed veluti probabilia magis; nihil enim de his habemus ex revelatione. Sane idem s. Doctor ibidem refert aliorum opinionem. « Quidam tamen dicunt quod ipsum praemium commune, quod est aurea, accipit nomen aureolae secundum quod virginibus vel martyribus vel doctoribus red-

ditur... non tamen ita quod praemium essentiale oporteat esse maius, sed quia excellentiori actui respondet ». Quid contra hanc opinionem quod aurea et aureola sint idem obiicit s. Thomas? « Sed hoc videtur esse contra intentionem Glossae (ord. Bedae) ». Id vero non admodum urget, neque hac responsione contentus fuisset s. Doctor si de re certa, non tantum probabili quaestionem habuisset. Faxit Deus ut *auream* saltem consequamur.

§. 80. — Cessantibus virtutibus propriis viatorum, ceteris refulgent beati, aucta non mutata caritate.

1. Non esse in caelo locum virtutibus fidei et spei, quae nunc infunduntur, est per se evidens; quod enim vides et obtines cum certitudine aeternae possessionis, non est cur credas aut speres. Neque tamen negamus aliquam fidem exerceri aliquando a beatis: si enim Deus eis aliquid revelat quod non vident, nec videre possunt in Deo, puta peccatum, cur non credent? An ille actus fidei ab habitu fidei procedet heic habito, quem retinuerint? Non est necesse; constituti enim in altissimo gradu supernaturalis elevationis et Deum intuentes eiusque veracitatem, iam hoc ipso sunt optime comparati ad credendum Deo revelanti.

Nulla autem erit spes de aeternitate beatitudinis, nam certissima scientia eam tenent, imo in Deo ipso vident, unionem suam cum Deo esse aeternam.

2. Caritas porro quo ardet beatus differt quidem gradu, etiam modo ab ea qua Deum heic dilexit, sed specie erit eadem, scilicet eadem caritas est viatoris et beati, ut ipsa heic incipiens consummetur in caelis. Id suadet Apostolus dicens, ceteris cessantibus, caritatem nusquam excidere 1. Cor. XIII. 8.

Et sane idem est obiectum formale et materiale caritatis heic et in patria; non ergo est opus ut alius habitus substituatur, sed satis est hunc perfici. Quemadmodum scilicet gratia habitualis sanctificans manet in patria ibique completur, ita et caritas, quae vel eadem est cum gratia vel ei necessario inhaeret.

3. Differentia vero erit tum ratione modi, nam heic caritas innititur fidei, ibi visioni; tum gradu quoque; nam ibi caritas erit immutabilis, pura ab omni labe eaque incessanter diligetur vere Deus ex toto corde ex tota anima ex omnibus viribus. Hoc pacto perfecta erit in singulis beatis caritas, quia nullo vitiabitur vel levissimo defectu et ex toto corde diligetur Deus: quia vero caritas ibi ex visione pendet atque haec gradus admittit, ita caritas in omnibus perfecta quidem erit

tamen in his aut in illis perfectior, perfectissima, quatenus creaturae concessum est.

4. Quoad alias virtutes morales, nullae certo desunt beatis, quae bonum faciunt habentem: absque his enim abesset rectitudo voluntatis, haec autem necessaria est beatitudini, quia haec « sita est in visione divinae essentiae, quae est ipsa essentia bonitatis et ita voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum, sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub communi ratione boni quam novit, et hoc ipsum est quod facit voluntatem rectam ». Ita s. Thomas 1. 2. q. 4. a. 4. Prudentia vero, quae proprie ad intellectum pertinet, nequit deesse iis qui Deum intuentur fontem omnis rectitudinis. Et quamvis occasio desit beatis exercendi aliquas virtutes, attamen aptitudo ad eas exercendas necessaria est; quia haec intrinsece perficit hominem, et oportet beatum esse perfectum.

§. 81. — Vita beatorum potius quam tempore mensuratur aevo.

1. *Αἰών* aevum significare solet tum tempus tum aeternitatem iuxta contextum orationis. A scholasticis vero accipitur pro duratione quadam, quae media sit inter aeternitatem et tempus. Aeternitas est eius, qui est prorsus immutabilis, tempus est eorum quorum ipsa substantia intrinsece et extrinsece est mutabilis, ut sunt omnia corporalia: aevum est eorum, quorum quidem substantia est intrinsece immutabilis, habent tamen transmutationem adiunctam, vel actu vel potentia, propter actus qui sibi succedunt, quemadmodum in Angelis (s. Thom. 1. p. q. 10. a. 5.).

2. Iam vero 1. nedum substantia animae, quae sola fruitur beatitudine ante resurrectionem sed et substantia integri hominis post resurrectionem immutabilis est: nullam enim transmutationem seu alterationem in se ipsa amplius patitur: 2. potissimum ipsa visio, qua constituuntur beati, est unus actus idem in aeternum manens, ut idcirco nulla successio in hoc habeatur, licet forte hic idem actus semper augeatur (§. 79. 2.). Non ergo beatitudo mensuratur tempore, quae est mensura entium successivorum. 3. Beatus tamen videns Deum plures actus et successivos circa alias res elicere potest; habet ergo adiunctam quandam transmutationem: duratio ergo eius est aevum.

§. 82. — Non licet definire quaestionem de loco beatitudinis.

1. Disputantes de Purgatorio et de Inferno quaesivimus ubi sint et aliquod dedimus responsum. Pariter inquiri potest, ubi nam versentur beati, vel ubi sit Paradisus, si hic quendam significat locum. Responsio est, nos ignorare etiam an locus sit quidam definitus, quo beati convenire debeant.

Sane cum beatitudo in visione et possessione Dei consistat, Deus autem ubique sit, illa obtineri poterit, ubicumque inveniantur beati. Profecto postquam animae corpora resumpserint, homines aliquem occupabunt locum; at non est opus ut sit locus quidam determinatus exclusive; quacunque scilicet in parte mundi, imo et extra mundum exspatiari eis licebit, Deoque frui; ut enim cum Domino sint locus quilibet nullatenus suffragatur.

2. Utique Pater noster dicitur esse *in caelis*, Christusque dicitur ascendisse *ad caelos*, et sanctorum societas vocatur Ierusalem *caelestis*: verum si quaeras quid veniat tandem nomine caelorum, responsio quidem duplex esse poterit. Vel enim quaeris quid sint caeli obiective, vel quid eos vulgaris opinio haud scientifica censeat esse. Si primum, caeli sunt universa moles creata, ita ut haec locutio: *Pater noster qui es in caelis* aequivalere possit huic: *Pater noster qui es ubique*. Si alterum, novimus orbes caelorum plures creditos fuisse, singulos pro singulis nostris planetis, tum orbem immensum stellarum tum caelum primum mobile, quae omnia Poeta noster divinus volumina appellavit, tum tandem caelum empyreum seu igneum, quod sedes esset conspicua divinae maiestatis et mansio beatorum. Verum huiusmodi orbes iam diu, puto, evanuerunt. Ipse quoque aer qui tellurem cingit vocatus est caelum, Gen. I. 8. unde aves caeli Baruch III. 17.

Ergone falsae sunt locutiones Scripturarum? Minime gentium. Ascensio Christi eo certe redit, ut tellurem hanc reliquerit et partem aliquam caelorum subierit; at quaenam sit ignoramus, nec putandum est quod ita locum quendam ingressus sit uti ibi semper manendum ei fuerit veluti fixo et immobili. Porro cum corpore constet humanitas Christi, locum sane aliquem sibi naturaliter vindicat. Quia vero societas Angelorum et beatorum extra tellurem esse creditur h. e. certo extra et supra leges physicas quibus heic corpora reguntur, ideo in caelis esse dicuntur, nimirum ubi vita alia prorsus ducitur a terrena, perfectior, felicior, divinior. Eodem pacto Pater *caelestis* appellatur, alius scilicet a terreno, meliorum donorum collator, a quo procedunt quae exsuperant terrena.

3. Profecto cum mortui resurrexerint, corpora beatorum locum aliquem postulabunt; sed totus quantus est mundus potest esse huiusmodi locus: si vero aliquem determinatum locum desideras, ubi specialiter una congregentur mutuaque laetitia simul congaudeant, forte maximum astrum, circa quod cetera volvuntur, erit iste locus, forte ipsa tellus, quae igne purgata evaserit nova, ut audivimus loquentem s. Petrum 2. Pet. III. 13.

4. Christus quidem latroni dixit, eum mox futurum, *in Paradiso* Luc. XXIII. 43.: verum ea formula noluisse Dominum significare locum, sed gaudium tantummodo, liquet, puto, ex eo, quod illâ die (hodie) anima boni latronis ad limbum descenderit cum anima Salvatoris. Nemo autem hactenus arbitratus est, locum beatorum esse sub terra.

5. Itaque non est cur solliciti simus, interrogantes, ubinam sit beatorum sedes; permittamus eos, participantes quodammodo divinam ubiquitatem, universum obtinere mundum, ut cum ipso regnantes omnia sibi sub pedibus subiiciant et ubique dominentur.

FINIS DEO GRATIAS

INDEX

LECTORI. . . . . Pag. III

MORS

§. 1. Anima separata non est perfecta persona . . . . . » 2
§. 2. Anima separata cognoscit instar eorum, qui sunt spiritus puri. » 3
§. 3. Reiiciendus abnormis thneto — vel hypnopsychitarum error. » 5
§. 4. Probabile est animam separatam posse movere corpora et posse a loco ad locum transire, abiectis nihilominus spiritismi deliramentis. . . . . » 7
§. 5. Corpus mortuum idem est numero ac corpus vivum . . . » 10
§. 6. Debitum mortis est universale. . . . . » 11
§. 7. Probabilissimum est homines postremos in fine mundi viventes non esse morituros. . . . . » 12
§. 8. Mors est terminus stadii probationis, probatus autem est, ille, quem mors in iustitia occupaverit . . . . . » 21
§. 9. Quapropter nemini licet mortem sibi consciscere. . . . . » 24
§. 10. Generalis lex est, mortem esse semel subeundam . . . . . » 26
§. 11. Excepta revelatione, homini vitam agenti incertum semper est instans mortis; idque est conveniens . . . . . » 27
§. 12. Nulla iniuria fit peccatori si damnetur, qui, inchoata poenitentia, morte praeoccupatur, antequam plene reconcilietur Deo. » 29
§. 13. Etsi mors sit poena, Deusque dicatur eam non fecisse, attamen ex appellationibus, quibus ipsa in Scripturis honestatur, liquet eandem fidelibus non adeo esse metuendam . . . . . » 30
§. 14. Corpus ab anima depositum non licet christianis igne comburere, sed terrae committendum seu sepeliendum est. . . . » 32

IUDICIUM PARTICULARE

§. 15. Iudicium particulare certe est futurum. . . . . » 35
§. 16. Non est cur credamus, in iudicio particulari Christum assumpta persona iudicis conspiciendum fore . . . . . » 39
§. 17. Iudiciaria Christi potestas etiam in hac vita exercetur . . » 40
§. 18. Uberius declaratur quod superius praestitutum est (§. 15.) de definita sorte animarum post mortem . . . . . » ivi

PURGATORIUM

§. 19. Purgatorii nomine intelligitur status poenalis pro iustis post mortem, atque intelligi quoque solet locus aliquis in quo ipsi sint . . . . . Pag. 52
§. 20. Purgatorium certe exsistit . . . . . » 53
§. 21. Animae in Purgatorio satisfacere non valent . . . . . » 63
§. 22. Praeter reatum poenae aliquis reatus etiam culpae in Purgatorio remittitur. . . . . » 64
§. 23. Probabile est animas in Purgatorio exsistentes virtutibus quoque augeri . . . . . » 65
§. 24. Animae in Purgatorio aliquid impetrare sibi valent et aliis non sibi tamen directe relaxationem poenae . . . . . » 68
§. 25. Animae in Purgatorio exsistentes certae sunt de sua aeterna salute. . . . . » 69
§. 26. Probabile est poenam Purgatorii esse ignem . . . . . » 70
§. 27. Quamdiu producatur Purgatorii poena, definire non licet. . » 75
§. 28. Non est putandum in Purgatorio pati animas a daemonibus. » 77
§. 29. Incertum est ubi animae purgentur . . . . . » ivi
§. 30. Verbis Petri I. epist. III. 18. 20. non cogimur credere animam Christi, cum descendit ad Inferos, adiisse animas reprobas. » 79
§. 31. Animae in Purgatorio exsistentes suffragiis viventium iuvantur. » 83
§. 32. Ritus condendis cadaveribus in Ecclesia usitati, dum sunt solatia vivorum, sunt etiam, si sancte fiant, subsidia mortuorum . » 86

ALTER D. N. I. CHRISTI ADVENTUS RESURRECTIO ET IUDICIUM UNIVERSALE

§. 33. Propagatio humani generis in terris finem aliquando est habitura . . . . . » 88
§. 34. Etsi mundi moles permansura sit, caeli tamen et terra innovabuntur. . . . . » 90
§. 35. Quando autem id futurum sit, Christus noluit vel Apostolis revelare . . . . . » 92
§. 36. Finem humani generis Christus glorioso adventu clarificabit, omnes iudicaturus. . . . . » 95
§. 37. Non ante venturus est Christus quam praedicatum sit Evangelium in universo orbe . . . . . » 97
§. 38. Christus non est iterum venturus nisi venerit *ἀποστασία* primum et se prodiderit *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας*. . . . . » 99
§. 39. Christi adventum praecedet adventus Eliae prophetae. . . » 103
§. 40. Henochum quoque cum Elia venturum, plurimorum doctorum sententia est. . . . . » 104
§. 41. Quaedam signa proximi adventus sui Christus ipse praenuntiavit, Matth. XXIV. 21.-30. Marc. XIII. 19.-26. Luc. XXI. 25.-27. » 108

§. 42. Phaenomena haec credibile est post excessum Antichristi esse eventura: quibus exsistentibus certius profecto erit, instare adventum Domini, eius tamen dies semper ignorabitur donec adveniat . . . . . Pag. 110
§. 43. Impia Antichristi facinora nomini suo congruent, quo insignitur in Scripturis. . . . . » 112
§. 44. Missio Eliae eo potissimum spectat, ut praeparet viam Domino per conversionem Iudaeorum, missio Henochi eodem spectat per procuratam poenitentiam christianorum: utriusque vero eo videtur spectare, ut Antichristo adversentur . . . . . » 114
§. 45. Apostasia nationum et Antichristi imperium non impedient, quominus hierarchicus ordo Ecclesiae et Pontificatus Romanus perseverent . . . . . » 115
§. 46. Vi manifesta Christi profligato Antichristo, non statim succedet sollemnis adventus Christi, atque probabile est, inter utrumque eventum Ecclesiam rursus splendorem suum ubique gentium recuperaturam Iudaeis quoque tandem conversis . . . . . » 116
§. 47. Quam in c. XXI. Apocalypsis vidisse se narrat Ioannes, Ierusalem non est Ecclesia militans in terris, sed triumphans in caelis . . . . . » 118
§. 48. Ea conflagratio, de qua loquitur Paulus 1. Cor. III. 13. 2. Thess. I. 7. 8. et Petrus 2. Petr. III. 10. 12. praevertet iudicium. » 119
§. 49. Adventum gloriosum et repentinum supremi indicis excipiet resurrectio mortuorum, eorumque collocatio ad dextram vel sinistram iudicis. . . . . » 121
§. 50. Resurgent quidem omnes prorsus mortui, at non omnes iisdem instructi corporeis praerogativis . . . . . » 122
§. 51. Corpus resurgens erit illud ipsum quod sociatum fuit animae in hac vita . . . . . » 126
§. 52. Difficultates, quas humana ratio proponit contra dogma universalis resurrectionis excludit sapientia et omnipotentia divina. » 129
§. 53. Frustra quaeritur, ubi sit futurum iudicium: iusti obviam Christo per aera procedent et a dextris eius stabunt, relictis reprobis in tellure a sinistris: una cum Christo iudicaturi Apostoli eius sedebunt et quod probabilius saltem censemus, non insensibili modo peragetur iudicium . . . . . » 131
§. 54. Certum est, omnium hominum actiones, super quibus ferenda est sententia, esse in apertum proditurus, omnes homines, qui libertate sua sunt usi esse iudicandos, omnia non uno instanti temporis esse facienda: sententiam tandem inappellabilem ex iustitia pronunciandam esse . . . . . » 136

INFERNUS

§. 55. Ignis infernus non est metaphoricus sed realis: etsi alterius generis sit ac noster in terris et vere cruciat damnatos . . » 141
§. 56. Rationi congruit, ut homini ad beatitudinem destinato, quam meritis suis consequi debet temporis spatium promerendi aut

demerendi sit vita mortalis constituta, ultra quam non sit amplius locus sperandae veniae . . . . . Pag. 147
§. 57. Ratio quoque nihil a se alienum in eo reperit quod tempus ad consequendum finem, semel tantum constituatur sitque tempus unicum huius vitae . . . . . » 148
§. 58. Hac admissa oeconomia consequens erit, voluntatem hominis post huius vitae cursum eam semper esse bonam, quae bona erat exiens de hac vita, quae autem ex hac vita emigrans fuit mala, semper fore malam. . . . . » 149
§. 59. Ratio nullam in eo pugnam deprehendit, quod exacto probationis tempore poena peccati mortalis sit aeterna. . . . . » ivi
§. 60. Doctrina est catholica divina revelatione contenta poenas inferni esse aeternas h. e. sine fine . . . . . » 150
§. 61. Etsi quibusdam veteribus arriserit sententia de mitigatione poenarum inferni pro certis diebus, eam tamen minus probabilem censemus. . . . . » 154
§. 62. Pro varia gravitate criminum varia erit et gravitas poenae. » 155
§. 63. Cum pars eaque praecipua poenae damnatorum sit amissio beatitudinis aeternae, eam naturali appetitu desiderant dolentque se peccasse quatenus peccatum est causa poenae . . . . » 156
§. 64. Quamvis perpetuo peccent damnati, haec tamen peccata eis ad maiorem poenam non imputantur . . . . . » 157
§. 65. Probabile est locum tormentorum esse sub terra. . . . . » 158

PARADISUS

§. 66. Preparata est iustis beatitudo qua coheredes cum Christo et cum eo regnantes Dei visione immediata ac amore fruantur, idque in aeternum. . . . . » 159
§. 67. Cum visio intuitiva Dei sit intellectui nostro possibilis quidem, sed supernaturalis, opus est intellectui quodam gratuito lumine, ut Deum videat . . . . . » 165
§. 68. Deus claritate sua intrinsece illapsus in intellectum beati ab eo videtur absque ope illius speciei quam dicunt impressam; ipse autem actus visionis totus est ab intellectu elevato, quin verbum ullum producat proprie dictum . . . . . » 168
§. 69. Beati videntes Deum plane intelligunt mysterium Trinitatis. » 170
§. 70. Visio intuitiva Dei gradus perfectionis admittit atque maior est vel minor ratione habita meritorum. . . . . » 171
§. 71. Visio intuitiva Dei non infert necessario cognitionem aliarum rerum: fieri tamen potest, ut ex viso Deo plus minus perfecte beatus apprehendat essentias rerum et possibilia, quae proprio etiam conceptu percipiat distinto a visione Dei. . . . . » 173
§. 72. Exsistentia quoque et futura beatus cognoscere potest, non eodem tamen prorsus modo . . . . . » 174
§. 73. Beatus videns Deum non hoc ipso cognoscit decreta divinae voluntatis . . . . . » 176

237.
P.185
4895
PALMIERI, Dom.
AUTHOR
De [redacted] Tractatus
TITLE Theologicus de Novissimis

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Hueman	FEB 9
	Dempsey	APR 5
	Kohls	MAR 2 -
	Corcoran	

STORAGE - CBPL

4895